DE SERMONE TERENTIANO QVAESTIONES DVAE.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM ORDINE REGIMONTANO

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

EVA JOHNSTON

AMERICANA.

REGIMONTI

EX OFFICINA HARTVNGIANA

1905.

Gedruckt mit Genehmigung
der philosophischen Fakultät der Albertus-Universität
zu Königsberg i. Pr.

Referent: Professor Dr. Heinze.

Inter dicendi genus Terentii et Plauti hoc maxime interesse constat, quod hic elocutionem suam ad usum popularem conformavit, ita tamen ut artificia dicendi permulta quorum quasi semina in sermone vulgari invenerat ingeniosissime excoleret atque propagaret; Terentius contra hominum nobilium studiis obsecutus elegantiae sermonis ante omnia operam dabat nihil aeque devitans atque vulgaria et incondita dicendi genera. 'Puri sermonis' ut Caesaris verbis utar 'amator' ne ornamentis quidem illis et figuris dicendi quas Plautus in deliciis habuit nisi modestissime personas suas uti voluit. Quod quam consulto fecerit eo potissimum cernitur, quod in prologis, oratoris nimirum partis agens, lenociniis oratoriis minime pepercit, id quod Leonis demum opera[1]) edocti sumus.

Sermonis cotidiani plebeio propinqui propria est abundantia quaedam, quae non contenta sensum simpliciter enuntiasse verbis cumulatis rem semel dictam iterare solet, qui usus partim studio perspicuitatis partim neglegentiae cuidam debetur. Ita pleonasmus oritur qui ex vero dicitur, quoniam accurate verba perpendenti superflua quaedam videri possunt; licet enim ei qui primi ita loquebantur non sine causa verba cumulaverint, locutiones in consuetudinem receptae consuetudinis tantum causa temere solent adhiberi. Huius igitur pleonas-

1) Leo, Analecta Plautina. De figuris sermonis II p 14 sqq.

mi multa exempla post alios monstraverunt in sermone pedestri Italorum vetustissimo Altenburg, apud Plautum Lorenz, apud Varronem Krumbiegel, in Ciceronis orationibus prioribus Landgraf et Hellmuth.[1]) Qui pleonasmus quatenus apud Terentium reperiatur in priore huius libelli parte quaesivi. Longe aliter est iudicandum de ea sermonis redundantia quae apud eos potissimum scriptores poetasque invenitur qui gravitati atque solemnitati orationis student, quippe quae abundantia non inconsulto admittatur, sed studio atque industria quaeratur. Talia cum apud Ciceronem in orationibus omnis fere aetatis tum apud Lucretium[2]) nec non apud Tacitum[3]), ne plures enumerem, obviam fiunt. Selegi ex toto hoc genere copulationem verborum synonymorum cuius usum Terentianum explorarem, sperans hanc quaestionem aliquid conlaturam ad artem sermonis Terentiani rectius aestimandam. De hac igitur re in altera huius libelli parte agetur.

Pars I.

De pleonasmo.

Primum eos locos afferam ubi adverbium verbo abundanter apponitur. Haud raro apud omnes fere scriptores, atque eo saepius, quo propius ad vulgare

---

1) Altenburg, De sermone pedestri Italorum vetustissimo. Lorenz in Plauti Militis Gloriosi Mostellariae Pseudoli praefationibus et commentariis. Krumbiegel, De Varroniano scribendi genere quaestiones. Landgraf, De Ciceronis elocutione in orationibus pro P. Quinctio et pro Sex. Roscio Amerino, et in commentario ad Ciceronis orationem pro Sex. Roscio Amerino. Hellmuth, De sermonis proprietatibus quae in prioribus Ciceronis orationibus inveniuntur.

2) Kraetsch, De abundanti dicendi genere Lucretiano

3) Gericke, De abundanti dicendi genere Tacitino.

genus dicendi accedunt, verbis cum praepositione compositis adverbia idem fere ac praepositio valentia adduntur, cuius usus apud Terentium haec sunt exempla.[1]) And. 238—239

uxorem decrerat dare sese mi hodie: nonne oportuit
praescisse me ante? nonne prius communicatum oportuit?

Frequenter *ante* verbis cum *prae* compositis additur,[2]) quod ne Tacitus quidem sprevit. Cf. Dial. 18, 9 *si illud ante praedixero.*[3]) Simili locutione utitur Lucretius V 1341—2 *ante Non quierint animo praesentire.* Plautus, Pseud. 408 (Goetz-Schoell ed. min.) *praesensit prius* scribit. Apud Terentium locutio *praescisse ante* non temere posita est sed ex persona adulescentis a patre uxorem tam subito ducere iussi apte ducta. Quid quod sequentia quoque, quibus eadem cogitatio iteratur, quasi inhaerere docent Pamphilum notioni illi bis enuntiatae.

Verba *praesto adesse* coniunguntur Eun. 1050

sed ubist frater? praesto adest.

Ceteris locis Terentius *praesto* cum simplici verbo *esse* copulat. Cf. Phor. 51, 267, 561, Heaut. 172: in Phor. 266—267 *adest* et *praestost* plane idem valent:

hic in noxiast, ille ad defendendam causam adest:
quom illest, hic praestost.

---

1) In exemplis Terentianis afferendis editione Tyrrellii Oxonii 1902, utar.

2) Vix est quod moneam huc non trahenda esse exempla qualia sunt Ciceronis de Div. I. 128 *atque ut ei . . , multo ante praedicunt,* de sen. 49 *quam delectabat eum defectiones solis et lunae multo ante nobis praedicere,* ubi *multo ante* verbo *prae* addita novam notionem afferunt.

3) Similia congessit Gudeman ad locum.

Non semper autem *praesto* idem atque *hic* significare ostendit Heaut. 172 *iam dudum domi praesto apud me esse aiunt.* In Eun. 1050 Chaerea qui hoc loco omnino verbis abundat sermonis ubertate laetitiam ostendit.[1]) Nusquam Plautus locutione *praesto adesse* utitur, alii autem scriptores saepe. Cf. Acc. Trag. 498 (R), Cic. Mur. 26, ad Att. IV 12, 1, Fam. IV 8, 1, IV 14, 4, Lucr. V 1412. Eodem modo ac adverbium *praesto* adiectivum *praesens* verbo *adesse* adicitur Adel. 393

non quia ades praesens dico hoc.

Hoc in versu Syrus qui Demeam fallere conatur verba cumulare videtur quo melius sententiae pondere quodam addito se verum dicere Demeae persuadeat. Eadem de causa vocem *nimium* hoc loco repetit: *nimium inter vos . . . pernimium interest.* Plautus locutione *praesens adesse* utitur Amph. 977 *tametsi praesens non adest.* Most. 1075 *adsum praesens praesenti tibi.* Stich. 577 *praesens esuriens adest.* Eadem formula invenitur Cic. de dom. 39, Caes. B. G. VII 62, 2.

Bis Terentius *prope adesse* scribit. And. 152

prope adest quom alieno more vivendumst mihi.

Adel. 453

utinam hic prope adesset alicubi.

In exemplo priore *prope* vim temporalem habet, in altero locum designat, in utroque aliquid novi sententiae addit idem ac *near* in locutione Anglica *to be near at hand.* In Ad. 453 dubitari potest utrum *hic* sit adverbium locale[2]) an pronomen, sed plane vim adverbialem habet Eun. 743 *ego iam dudum hic adsum.* et Adel. 291

---

1) Landgraf, De figuris etymologicis linguae Latinae, Act. Erlang. II. p. 62 hanc et locutionem *praesentem adesse* sermonis cotidiani propriam esse docet.

2) Cf. Spengel et Dziatzko ad versum.

Geta autem hic non adest. *Palam proferre* invenitur Heaut. 994

rem palam proferre.

Hic vis dicendi verbo *palam* addito augetur. In Anglicum convertere possumus *mention the matter quite openly*. Adel. 339

nunc si hoc palam proferimus ille infitias ibit, sat scio.

Quamquam *proferre* solum in versibus 337 et 343 idem quod *palam proferre* hoc loco significat, Geta *palam* addere videtur quo accuratius dissuadeat ne res proferatur.

Apud omnes fere scriptores Latinos[1]) invenimus adverbium *rursus* verbis cum *re* syllaba compositis adiectum neque videtur dicendi genus tam usitatum offendere posse. Exempla apud Terentium sunt Eun. 634

redeo rursum.

Phor. 538

beneficium rursum ei experiemur reddere?

Adel. 579

in porticum rursum redi.

Adel. 71

rursum ad ingenium redit.

Hec. 291

rursum in gratiam restitues.

In his exemplis omnibus Terentius *rursum* addere videtur, quo acrius pugnet cum sententia priore quae modo contrarium dixit. Similiter Ph. 922 *rursum rescribi*

1) Plurima huius usus exempla afferunt Reisig, Vorlesungen über latein. Sprachwissenschaft, neu bearbeitet v. Schmalz u. Landgraf. n. 613. Koehler, Act. Erlang. I. p. 447. Kraetsch, l. c. p. 67 sq. Landgraf, Cic. Rosc. Am. p. 215 sq.

invenitur. Locutio *revorti iterum* haud alia a *revorti rursum* esse videtur, Adel. 525

prius nox oppressisset illi quam huc revorti posset iterum.

Spengel autem ad versum notat aliquantum interesse inter locutiones duas. '*Iterum* zum zweitenmal in die Stadt kommen, also nicht pleonastisch zu *revorti* hinzugefügt. Denn pleonastisch wird zwar *rursus* zu *redire*, *revorti* u. a. gesetzt bei den Komikern sowohl als bei anderen Schriftstellern, niemals aber *iterum*'. Demeam ruri habitare docent versus 45 et 95, atque eum modo in urbem venisse coniectare possumus ex versu 92, ut non dubium esse videatur quin *iterum* in versu 525 vim propriam habeat. Similiter in Ph. 404

iudicium de eadem causa iterum ut reddant tibi

Phormio voce *iterum* prius iudicium memorat. Aliter res se habet in prologo, Hec. 7

noluit
iterum referre, ut iterum posset vendere.

ubi *iterum* abundat, aperte autem scribitur ut *iterum referre* et *iterum vendere* inter se respondeant. In eodem prologo *denuo* cum verbo referendi abundat v. 38 *refero denuo*, ubi Terentius de repetitione prima Hecyrae loquitur. Nusquam vero eum pleonasmum invenimus quo Plautus utitur Poen. 79 *revortor rursus denuo Carthaginem.*

Persaepe Terentius *ecce eccum* etc. cum verbo *video* coniungit. Hauler ad Phor. 464 affirmat pleonasmum in locutione inesse cum notio videndi in *ecce* insit. Sed quodcumque etymon[1]) habet *ecce*, *eccum*, cum vocabulum

---

1) De etymologia vocis cf. Lindsay-Nohl. p. 708. Koehler, Arch. f. lat. Lex. V p. 16 sqq. VIII p. 221 sqq. Bach, Studemund Studien II p. 395 sq. Stowasser Jhrb. d. K. K. Franz Joseph Gym. Wien 1891.

paene in interiectionis locum venierit, pleonasmus verbo *video* addito non oritur. Praeterea hoc ipsum quod Terentius tam saepe verba coniungit docet locutionem esse sermonis urbani propriam. Terentius *ecce eccum* etc. quaterdecies cum *video*, sexies et vicies sine *video* scribit; exempla ubi *video* additur sunt,[1]) And. 580, 605, Heaut. 256, Eun. 788, 918, 967, 1006, Phor. 464, Hec. 246, 352, 449, 523, 854, Adel. 361.

Adverbium *potius* cum verbis comparativa vi indutis coniunctum invenitur Heaut. 928

immo abeat potius malo quovis gentium

Adel. 222

quin quidquid possem mallem auferre potius in praesentia.

Hec. 532—534

adeon pervicaci esse animo ut puerum praeoptares perire,
ex quo firmiorem inter nos fore amicitiam posthac scires,
potius quam advorsus lubidinem animi tui esset cum illo nupta.

Hoc loco versu 533 interveniente necesse erat *potius* addito sententiam verbi *praeoptares* resumere. Comparativus cum verbo *malle* coniungitur And. 427

omnis sibi malle melius esse quam alteri,

quem usum versus antecedens *verum illud verbumst, volgo quod dici solet,* excusat cum doceat hanc locutionem esse proverbialem. *Magis* ad verbum augescendi adicitur Heaut. 423

nam mihi quidem cottidie augescit magis

---

1) In maiore parte exemplorum *eccum video* infinitivus aut participium e *video* pendet. In exemplis, ubi *video* non scribitur, verbum raro additur. Sed cf. Eun. 79, 776, Ph. 484 Adel. 767, 792, 923.

ubi fortasse *magis* additur auctoritate comparativorum quae sunt in versibus sequentibus.

Semper cum verbo frequentativo coniungitur Phor. 743

quid? non obsecro es
quem semper te esse dictitasti?[1])

Hic verbum utrumque vim propriam retinet cum Sophrona adverbio *semper* Chremem se ab omni tempore,[2]) verbo frequentativo se saepe Stilponem nominavisse significet.[3])

Formula *coacti necessario* primum apud Terentium invenitur[4]) And. 632

tum coacti necessario se aperiunt.

Landgraf, Act. Erlang. II p. 61 sq. locutionem cum Graeca figura etymologica *βίᾳ βιάζεται, μετὰ βίας βιασθείς* comparat. Sed quod formula apud Caesarem invenitur, B. C. I 40, III 49, 78, indicio est neque ornatus causa neque sermonis vulgaris imitatione Terentium locutione uti. Verbo *cogi* solet ablativus addi ut quid aliquem cogat significatur. cf. And. 71 *inopia et cognatorum neclegentia coacta.* v. 275 *coactum egestate.* v. 658 *coactus tua voluntate es.* v. 780 *coactus legibus.* Ad. 69 *malo coactus.* Cum autem non certa quaedam persona resve quae cogat indicatur, vox quae aliqua ex parte

1) Hauler ad versum similia exempla Plautina et Ciceroniana affert. non autem habet *clamitat* in Cic Quinc. 18 vim iterativam sed significat *cry aloud,* idem atque in Caes. B. G. V 7 *saepe clamitans liberum se . . esse.*

2) Cf. Thielmann. Arch. V 442 et exempla Plautina huius significationis allata.

3) Eodem modo in Cic. Rosc. Am. § 51 *eum ruri adsiduus semper vixerit* nullum pleonasmum in verbis *adsiduus* et *semper* inesse notant Halm et Landgraf ad locum.

4) Cf. Koehler, Act. Erlang. I. p. 447.

verbi significationem repetit additur ut in And. 632. Similiter in Heaut. 446 *coacta ingratiis.* cf. Cic. p. Tull. 5 *nisi plane cogit ingratiis.* Verr. III 72 *re necessaria coactus.* de Inv. I 4 *necessitate coactus.* Nomen *vi* verbi significationem auget Phor. 214 *vi coactum tu esse invitum.* Verbum activum solet sine ablativo scribi quoniam subiectum quid cogat ostendit. cf. Hec. 243, 674, Ad. 192, 851 etc.; additur autem *vi* Hec. 268

vi coepi cogere.

Transeo ad exempla nominis verbo cum pleonasmo adiecti. Terentius quinquies ea formula quae est *videre oculis* utitur quod Quintilianus Inst. VIII 3, 53 vitium nominat nisi adfirmationis gratia adhibeatur. Adel. 329

satin hoc certumst? certum hisce oculis egomet vidi.

Heaut. 563–4

vidin ego te modo manum in sinum huic meretrici ingerere? . . . mene? hisce oculis, ne nega.

Heaut. 421

somnum hercle ego hac nocte oculis non vidi meis.

Eun. 677—8

hunc oculis suis nostrorum numquam quisquam vidit.

Hec. 863

nam numquam ante hunc diem meis oculis eam, quod nossem, videram.

Similis locutio est in Hec. 363

partim quod perspexi hisce oculis, partim percepi auribus.

Proximo in exemplo quamquam *oculis* praeter necessitatem verbo *perspexi* adici videtur, *auribus* sensum percipiendi accuratius explicat, cum *percipere* non solum

notionem audiendi usurpet sed etiam ad reliquos sensus spectet. Im Heaut. 563—4 vox *hisce oculis* plane additur ut vim sententiae augeat. Similiter in Adel. 329 Geta verbis *hisce oculis egomet* docet se omnino non dubitare quin Aeschinus alienus sit a familia. In omnibus exemplis videmus nomen *oculis* pronomine possessivo aut demonstrativo accuratius designari ut et verbo et subiecto vim afferat.

Vox *cum animo* adicitur verbo cogitandi Adel. 500

sed, Demea, hoc tu facito cum animo cogites:

Circumlocutione *facito cogites,* voce *cum animo,* nomine *Demea,* pronomine *tu* additis ostendit Hegio quantopere fratres in amici filiam aequos se praebere cupiat. Eodem in versibus 502, 503 adiectivorum cumulatio repetitioque vocis *aequus* valet. Plautus Most. 702 eadem locutione utitur ubi ethos vim singularem desiderare non videtur:[1]) *quam magis cogito cum meo animo.* In hoc versu Plautus pronomen possessivum nomini *animo* addit eodem modo ac Cato et Cicero locis sequentibus. Cato apud Gell. XVI 1, 4 *cogitate cum animis vestris.* Cic. de l. agr. II 24, 64 *vos tamen id potestis cum animis vestris cogitare.* Simillima est locutio *considerare cum animo* qua Cicero utitur Verr. III 29 *considerate cum vestris animis vosmet ipsi.* Utroque in exemplo Ciceroniano pronomine possessivo adiecto subiectoque expresso sententiae gravitas augetur. Camparare possumus Pl. Aul. 715 *cum animo investigare.* Omnibus his locis *cum animo, cum animis* ablativi instrumentalis partes suscipere videtur. Similiter valet ablativus sine praepositione scriptus Cic. Fam. I 7, 3 *cogitare toto animo.* Tusc. II 24 *toto pectore, ut dicitur, cogitare.* Alia esse locutio *in animo cogitare* videtur quae Adel. 30 et 818 invenitur;

---

1) Cf. Lorenz ad versum.

vocem enim *in animo* idem valere ac *secum* vel *tacite* videbimus si exemplum alterum cum Adel. 808 comparabimus. Locutione *cogitare secum* etc. quae saepe apud alios scriptores invenitur, Terentius utitur Eun. 64, 629, 636, Adel. 808, et in Heaut. 385 legimus

et quom egomet nunc mecum in animo vitam tuam considero.

Exemplum nominis adverbii loco verbo adiecti invenimus Heaut. 733 *curriculo percurre.* Raro figura etymologica utitur Terentius qui Hec. 808 *propere curre* scribit. Plautus autem Most. 362 *curro curriculo*, Mil. 523 *cito transcurre curriculo.*

Adiectivum eodem modo atque adverbium aut nomen abunde cum verbo coniunctum invenimus, Hec. 587

neu causa ulla restet relicua.

Simili locutione Cicero utitur Rosc. Am. 13[1]) *qui unus relictus ex illorum nefaria caede restat*, et Plautus, Cist. 188 *Nunc quod relicuom restat, volo persolvere.* Similiter Trin. 510 *superfit relicuos.*

Ex verbis transgredior ad ea pleonasmi exempla in quibus substantivo cuidam vocabulum alterum praeter necessitatem appositum invenimus. Atque saepissime adicitur vox *homo* eis vocabulis quae quamquam re vera adiectiva sunt naturam tamen substantivorum assumpserunt. Scribitur And. 828 *homini adulescentulo,* And. 910 *homines adulescentulos,* Phor. 1041 *homo adulescens,* quibus in exemplis vox *homo* neque notionem accuratius definit neque quidquam novi sententiae infert. Sed etiamsi nomen *homo* requiri non videtur, tamen sententiae summa ubique in eo posita est quod adulescens est illa aetate, ita ut, si dicentis consilium plane exprimere volumus, enuntiato relativo, concessivo, causativo uten-

1) Cf. Landgraf ad locum.

dum sit. Aliud autem Heaut. 93 *filium adulescentulum,* Heaut. 602 *filiam adulescentulam,* Phor. 794 et Hec. 661 *adulescens mulier*, ubi suam vim propriam utrumque verbum retinet. Sed eodem modo atque *homo adulescens* scribitur Adel. 440 *homo amicus*, Heaut. 567 *hominem amicum,* Phor. 562 *homo amico amicus,* Adel. 563 *hominem senem,* Phor. 292 *servom hominem.* Non solum *homo* vocabulis masculinis sed *mulier* femininis adicitur. Heaut. 521, And. 755—6[1]) *mulier meretrix* Phor. 794, Hec. 661 *adulescens mulier,* Heaut. 953 *viduae mulieri.* In Eun. 357 Chaerea se eunuchum despicere ostendit cum eum *senem mulierem* nominat. Cf. Pl. Poen. 1311 ubi miles suum genus verbis *mares homines* laudat. His formulis omnibus comici saepe utuntur. Apud Plautum cuius usus omnino usui Terenti respondet haec exempla exstant. Bac. 88, Trin. 131 *homo adulescentulus,* Bac. 65, Pseud. 434 *homo adulescens.* Bac. 386, 1156, Cur. 332, Ep. 425, Per. 265, 595, Truc. 924 *homo amicus.* As. 470, Ep. 60, 328, Mil. 563, Stich. 58, 442, 692 *servos homo.* Stich. 446 *homo servulus.* Men. 261, 335, Mer. 685 *meretrix mulier.*

Formula *nemo homo* quinquies apud Terentium invenitur. Eun. 549

nunc quis hinc me sequitur? nemo homost.

Eun. 1082

accipit homo nemo melius prorsus neque prolixius.

Phor. 591

ego hominem callidiorem vidi neminem

---

1) Versum corruptum in codicibus, *meretrix! Ab Andriast ancilla haec, quantum intellego* Spengel verbo *meretrix* omisso corrigit. Rectius alii editores verbum *ancilla* expungunt cum demonstrativum *haec* satis clare Mysen, quae in scaena est, designet. Davos autem *meretrix* addit ne Chremes quae mulier nominetur dubitet.

Hec. 281

nemini ego plura ex amore acerba credo homini umquam oblata

Adel. 259

fratrem, hominem neminem[1]) *esse primarum artium magis principem.*

Animadvertendum est, exceptis verbis Chaereae Eun. 549, qui omnino luxuriatur quodammodo verbis, ubique comparationem institui atque antecellere hominem reliquis omnibus magna cum vi adseverari, ita ut facile intellegatur cur simplici voci *nemini* fortius illud *nemo homo* praeferatur. Plautus qui frequenter *homo nemo* coniungit hunc usum non aeque restrinxit (cf. Am. 566, As. 466, 756, Cas. 294, Mer. 141, Mil. 332, 1411, Most. 901, Per. 211, Rud. 268, Truc. 300, Vid. 63) quamquam ipse quoque ἐμφατικῶς plerumque eum adhibet. Cicero qui hac sermonis abundantia frequentius utitur,[2]) *nemo* et *homo* uno vel pluribus vocabulis seiungere solet, id quod Hellmuth et Landgraf l. c. notant. Terentius verba ter iuxta ponit. Cum pleonasmo simili pronomen *quisquam* voci *nemo* eodem modo ac *quidquam* voci *nihil* adicitur Eun. 226—7

hoc nemo fuit
minus ineptus, magis severus quisquam.

Eun. 1032

nemo hercle quisquam.

Hec. 67

nam nemo illorum quisquam.

---

1) *Hominem neminem* recte legit Kauer. cf. appendicem criticam ad versum.

2) Exempla Ciceroniana afferunt Hellmuth, Act. Erlang. I p. 65 et Landgraf ad Sex. Ros. § 135, sed alium sensum habent verba Sex. Rosc. 135 *ut hominem prae se neminem putet.*

And. 90—91

comperiebam nil ad Pamphilum
quicquam attinere.

Eun. 884

nil tibi quicquam credo.

Phor. 80

noster mali nil quicquam primo.

Phor. 250

horum nil quicquam accidet animo novom.

Hec. 400

hic tibist nil quicquam incommodi.

Adel. 366

nil quicquam vidi laetius.

Hanc locutionem apud multos scriptores frequentatam (abstinere autem notum est Ciceronem et Caesarem) amat Plautus. Cf. As. 146, Bac. 1036, Cas. 1008, Mer. 399, 507, 666, 738, 816, Most. 750, Poen. 504, Pseud. 809, Truc. 369. Omnibus his locis *quisquam* et *quicquam* adici videntur ut vis sententiae addatur et eodem modo atque Anglice *nobody at all*, *nothing at all* dicuntur.

Voces *nemo* et *nihil* genetivo partitivo confirmantur.

And. 963

nemost quem mallem omnium.

Heaut. 267

nam mihi nunc nil rerum omniumst
quod malim.

Eun. 561

nemo omniumst quem ego nunc magis cuperem
videre quam te.

Eun. 757

nemost hominum qui vivat minus.

Proximo in exemplo et genetivo *hominum* et voce *qui*

vivat vis sententiae augetur. Casus genetivus ex *homo* pendet Hec. 861

ut unus omnium homo te vivat nusquam quisquam blandior.

In duobus exemplis sequentibus casus genetivus de adiectivo superlativo potius quam de nomine pendere videtur. Adel. 218

hominum homo stultissime.

Phor. 853

o omnium quantumst qui vivunt homo hominum ornatissime!

Hic similiter atque in Eun. 757 enuntiatio *quantumst qui vivunt* additur.

Ad ea exempla transeo ubi adiectivo vocabulum alterum abunde additur. Atque bis nomen de adiectivo pendet. Heaut. 295

immunda inluvie

Heaut. 652

ne expers partis esset de nostris bonis

In exemplo priore Syrus pluribus verbis Antiphilae paupertatem describit, in altero Sostrata quae pietatis causa filiae anulum dedit figura etymologica *expers partis* utitur ut plus habere gravitatis sententia videatur.

Formula *suus sibi*[1]) quae apud Plautum duodecies invenitur Terentius semel utitur. Adel. 958

Suo sibi gladio hunc iugulo.

Exempla Plautina sunt As. 71, 825, Am. 269, Cap. 5, 50, 81, Mil. 632, Per. 81, Poen. 57, 97, 1083, Trin. 156. Si haec exempla tractabimus *sibi* interdum ex verbo pendere et

---

1) Cf. Ziemer, Junggram. Streifzüge p. 149. Landgraf, Arch. VIII p. 43 sq. qui plurima exempla ex scriptoribus Latinis congessit. Abbott, The use of Repetition in Latin to secure Emphasis p. 70 sqq. Kauer ad Adel. 958.

eandem vim atque *ei* habere invenimus. Sic in Poen. 1083 *suam sibi rem salvam sistam*, et in Trin. 156 *reddam suam sibi, sibi* propriam vim dativam retinet. Interdum autem *sibi* tantum eo valet ut adiectivo *suus* pondus quoddam addat. Cf. As. 825 *cum suo sibi gnato*. Poen. 97 *suam sibi cognatam*. Similiter in Terenti Adelphis *sibi* nullo modo de verbo pendet et quod Ziemer l. c. notat casus dativi vim omnino amisit. Hanc formulam in proverbii locum venisse iudicat Otto, Sprichwörter der Römer pp. 154, 342. Atque verisimile est Terentium in Adel. 958 proverbium pervulgatum memorare.

Vox *unus solus* invenitur Ph. 754

au, obsecro, unam ille equidem hanc solam.

Adel. 833

solum unum hoc vitium adfert senectus hominibus:

Adiectivum *solus* quamquam ceteris numeris cardinalibus saepe additur ut numeri exiguitatem exponat, raro cum *unus* coniungitur. In exemplo priore Sophrona duobus verbis utitur ut Chremeti interroganti num Antipho duas uxores habeat respondeat, in altero *unum solum* opponitur *omnibus aliis* quod erat in versu priore quo Micio senectutem laudat, *ad omnia alia aetate sapimus rectius*. Similiter Heaut. 129

hem tot mea
soli solliciti sint causa ut me unum expleant?

Menedemus qui suam luxuriam filii inopiae componit verbis *soli unum* utitur quae magis cum verbo *tot* pugnent. Quamquam formulam *solus unus* esse bimembre dissolutum indicare videtur Hor. Epist. I 6, 1—2 *una-solaque*, ceteris tamen cardinalibus vox *soli* ita additur ut coniunctio inseri non possit. Apud Ciceronem formula aliquoties invenitur. Cf. p. Sest. 62, 130 *unus est solus inventus*. Verr. II 2, 5, 13 *unam solam scitote esse civitatem Mamertinam*, 75, 185 *ex uno oppido solo*.

Voce *plerique omnes, pleraque omnia* scriptores vetustissimi interdum utuntur, deinde Gellius, Fronto, Macrobius.[1]) Apud scriptores priores tria ex quinque exemplis Terentius praebet. And. 55

quod plerique omnes faciunt adulescentuli,

Phor. 172

ita plerique omnes sumus ingenio:

Heant. 830

dixi pleraque omnia.

Pl. Trin. 29

ita plerique omnes iam sunt intermortui

Naevius 52 (Baehrens p. 50)

plerique omnes subiguntur sub unum iudicium.

Locutio varie est explicata. Donatus ad And. 55 (I 1, 28) '*Plerique omnes* ἀρχαισμὸς est. Nam errat qui *plerique* παρέλκον intellegit aut qui subdistinguit *plerique* et sic infert *omnes*. Hoc enim pro una parte orationis dixerunt veteres eodem modo quo Graeci πάμπολλα et Latini *plus satis*.' Alia autem in annotatione 'Figurate Terentius: παρέλκον τῷ ἀρχαισμῷ' 'hic ergo *plerique* ex abundanti positum est'.

Eugraphius abundantiam esse in locutione dicit, sed interpretatur *omnes*, non *plerique* esse supervacuum. Ad And. 55 '*Plerique omnes:* apud antiquos ista dictio ponebatur: ut *omnes* supervacuum fieret, et superior tantum sermo propriam significationem contineret'. Ad Heaut. 430 (IV 7, 2) 'supra diximus in Andria *omnia* abundare et *pleraque* significationem suam propriam continere'. Similiter Weiske, de pleonasmo Graeco p. 58 notat pleonasmum. Reisig autem mavult asyndeton disiunctivum statuere (p. 832 ed. Schmalz-Landgraf), cuius

1) Alia est locutio *plerumque omnes*, Caes. B. G. II 30, Lucr. IV 1049.

explanationem Schmalz l. c. not. 610a accipit. Etiam Woelfflin, Lat. u. rom. Comp. p. 41 comparat formulam *sex septem* in Eun. 332 (idem scribit Cicero ad Att. X 8, 6, Hor. Epist. I 1, 58, formulam autem *sex aut septem* Lucr. IV 577, Martial. VII 58, 1) et putat *plerique omnes* idem ac *plerique vel omnes* valere.[1]) Spengel ad And. 55, Dziatzko ad Phor. 172, Brix ad Plaut. Trin. 29 locutionem plus quam *plerique*, minus quam *omnes* valere consentiunt. Dziatzko et Brix vertunt *die aller meisten* et cum Donato locutionem idem esse ac πάμπολλοι explicant. Haec interpretatio ellipsin esse in formula negat. Atque quamquam haec verba coniunctione disiunctiva interdum copulantur (cf. Cic. de inv. II 40, 117 *omnia aut pleraque*, de fato III 6, *aut pleraque aut omnia)*, hic non est usus comicorum, qui duobus verbis non aliter atque uno *plerique* uti videntur. Comparare possumus locutionem Germanicam *eine ganze Menge*, quibus verbis non maior multitudo quam verbo uno *Menge* designatur, sed adiectivum *ganze* ponderi cuidam locutionis servit. Neque vox Anglica *a whole lot*, quae in sermone cotidiano saepe auditur, aliud atque *a lot* valet. Similiter in locutione *plerique omnes*, quamquam sententiae vis verbo *omnes* addito augetur, si *omnes* omitteretur nihil desideraremus, et Eugraphius recte iudicavisse videtur cum dixit *omnes* abundare et *plerique* significationem propriam continere. Si hanc explicationem accipimus videtur *plerique* vim substantivam, *omnes* vim attributivam habere, id quod locutionis Germanicae et Anglicae analogia commendatur.

1) Similiter iudicant Preuss, de bimembris dissoluti apud scriptores Romanos usu sollemni, p. 50. Ebert, Act. Erlang. II p. 350. Gorges, de quibusdam sermonis Gelliani proprietatibus p. 62.

Inter adverbiorum abundantiae exempla primum locum unicum ubi Terentius duobus negativis utitur tractabo. And. 205

neque tu haud dicas tibi non praedictum.

Quamquam codices *hoc* pro *haud* praebent, Donatus ad versum veram lectionem restituit. Plurima exempla negativi alteri abunde adiecti praebet Plautus.[1]) Locutio *neque . . . haud* invenitur Bac. 1037, fr. 19, Epid. 664, Men. 371, Per. 535. Brix ad Men. 371 explicat, cum in *neque* vis negandi particula coniunctiva *que* addita minuatur, sermonem cotidianum alteram negationem adicere solere, quae vim vocis *neque* non deleat sed augeat. Hanc annotationem Brixii secutus Habich, Observationes de negationum aliquot usu Plautino p. 11, negat in locutione *neque . . . haud* abundare *haud* vel *neque . . . haud* pro simplici *neque* dictum esse, sed affirmat particulae *neque* vim negativam tantopere deminutam esse ut altera negatio requiratur. Etiamsi Brixii explanatio accipitur haec conclusio Habichii non necessario consequitur. Plurimis locis etiam apud Plautum, qui locutionem maxime amat, solum verbum *neque* invenitur neque locis laudatis verbo *haud* omisso sensus quidquam desideraret. Rectius exponit Abbott l. c. p. 73 duo verba coniungi ut vim perspicuitatemque sententiae addant. Atque notandum est duo verba *neque haud* pronomine semper disiungi.[2]) Similiter potest Anglice dici si pronomen inter dua negativa vocis sono graviore enuntiatur. Possumus And. 205 convertere *nor you, don't say you have not been warned.* Locutio paene esse anacoluthon videtur, ut negatio quae in *neque* est pronominis auctoritate neglegatur, tum verbo *haud* repetatur.

1) Cf. Abbott, Repetition in Latin p. 73.

2) De Bac. fr. 19 *neque haud* cf. Ritschl, opusc. II 334.

Quod Gellius XVII 21, 35 *neque haud* nullo pronomine inserto scribit nihil auctoritatis ad usum comicorum explicandum habet, quippe qui scriptores vetustissimos imitando archaismo saepe utatur priscam verborum vim neglegens.

Alium usum frequenter apud Plautum, semel apud Terentium invenimus, quo *magis* adiectivo aut adverbio comparativo additur.[1] Hec. 738

quo magis omnis res cautius ne temere faciam adcuro.

Apud Plautum huius usus exempla sunt Aul. 422, Bac. 500, Cap. 644, Men. 55, 998, Poen. 82, 212, 461, Pseud. 220, Stich. 485, 704, et si coniecturam quae sine dubio veram lectionem praebet recipimus Am. 301. Norden, Mus. Rhen. 1894 p. 199 sqq., affirmat adverbium *magis* cum comparativo coniunctum semper apud Plautum vim suam propriam retinere 'indem es die comparativische Idee auf einen neuen Begriff weiter leitet;' itaque eos versus in quibus *magis* sententiae nihil affert novi a Plauto abiudicat. Seyffert autem, Bursian Jhbr. 80, p. 296 sqq. ostendit aliquot locis, ubi non dubium sit quin lectionem veram habeamus, *magis* abundare atque exemplis allatis Plautum amare comparativa cumulare. Norden iudicat Hec. 738 omnino respondere locis Plautinis Cap. 644 *certon? quin nil, inquam, invenies magis hoc certo certius;* et Men. 978 *nam magis multo patior facilius verba, verbera ego odi.* Hoc autem interest inter Hec. 738 et omnia exempla Plautina, Men. 978 excepto, quod apud Plautum *magis* cum adiectivo construendum est, in Hecyra autem *quo magis* cum verbo *adcuro* construi potest et alteram novamque notionem sententiae adfert

1) Cf. Woelfflin l. c. p. 46. Fraesdorff, De comparativi gradus usu Plautino p. 40 sqq.

ut sensus paene sit hic *quo magis et quo cautius adcuro ne temere faciam.* In And. 447

subtristis visus est esse aliquantum[1]) *mihi.*

deminutivam notionem vocis *subtristis* repetit adverbium *aliquantum.* Et in Adel. 779

est alius quidam, parasitaster paululus

Syrus deminutiva duplicat[2]) ut Demiphoni persuadeat Clitiphonem, qui intus sit, non esse filium sed hominem parvi pretii. In Eun. 489

tace tu, quem ego esse infra infumos omnis puto homines;

quamquam *infra omnes homines* re vera idem quod *infra infumos omnis hominis* valet, Parmeno verbo *infumos* addito ostendit quantopere parasitum despiciat.

Loci significationem Terentius interdum bis exprimit. Phor. 95

modo quandam vidi virginem hic viciniae.

cf. Pl. Mil. 273 *certe edepol scio me vidisse hic proxumae viciniae Philocomasium.* And. 70

ex Andro commigravit huc viciniam.[3])

Adverbia demonstrativa *hic* et *huc* accuratius definiuntur addito locativo *viciniae* et accusativo *viciniam*, eadem ratione qua in locutionibus usitatissimis velut *huc coram* And. 900, *huc foras* Phor. 878, quibus nullos fere scriptores carere non est quod mireris.[4])

---

1) Bentley quem Tyrrell sequitur *aliquantillum* (sic Pl. Capt. 137) scribit, augeri nimirum, non diminui vim adiectivi addito *aliquantum* ratus; sed lectio tradita commendatur exemplo Pl. Capt. 648 *subrufus aliquantum,* quocum cf. Asin. 400 *rufulus aliquantum.*

2) De forma *parasitaster* cf. Seck, Arch. I p. 390 spp., Schnorr v. Carolsfeld p. 404 sqq., Lindsay-Nohl p. 375. Woelfflin, Arch. XII p. 419 sq.

3) *Huc viciniam* lectionem alteram Donati et C[1] a Spengelio defensam editores recentiores recte acceperunt.

4) Cf. Hand Turs. sub *hic hoc* etc., Brix ad Mil. 108, Koehler, Act. Erlang. I p. 446.

Adverbium *ilico* quod apud Terentium tempus designare solet[1]) in Adel. 156 cum *hic* coniunctum locum significare docet Donatus ad versum:

otiose: nunciam ilico hic consiste.

Adel. 269

vereor coram[2]) *in os te laudare amplius.*

Eun. 794

quae mi ante oculos coram amatorem adduxti tuom.

Comparare possumus Pl. Pseud. 1142, ubi notio vocis *coram* aliis verbis repetitur: *quia tute ipsus coram praesens praesentem vides.*

Terentius formula *domi apud me* ter utitur ut loci significationem luculentius exprimat. Eun. 747

ubi east? domi apud me.

Heaut. 430

ubi namst quaeso? apud me domi.

Heaut. 171—2

iam dudum domi
praesto apud me esse aiunt.

Omnibus his in exemplis locus quo quis versetur accurate designatur neque abundat *apud me*, quoniam *domi* simpliciter dictum *domi suae* intellegi possit: velut in Heaut. 170 ubi Chremes '*ibo*' inquit '*visam si domist*' ex contextu solo diiudicare possumus utrum suam an Phaniae domum eat. Contra Heaut. 162, ubi *apud me sis volo* dicitur voce *domi* non addita, non agitur de ipso loco[3],) sed *apud me sis* idem valet quod *mecum cenes.* In Hec. 257 *meae domi* possessi-

1) Cf. Dziatzko-Kauer ad Adel. 156.

2) de etymologia verbi *coram*, quod eiusdem stirpis est cuius *os*, cf. Lindsay-Nohl p. 669, Zimmermann Arch. XII p. 365 sq.; Terentium vero hoc ignorasse verisimile est.

3) Cf. Friebe, de derivatione . . . praepositionum apud Plautum et Terentium, 1847.

vum idem dicit atque *apud me* quae est locutio frequens apud ceteros scriptores. Cf. Pl. Aul. 432, Cur. 518, Ep. 499, 563, Men. 359, Mil. 158, 739, Mos. 191, 874, Per. 512, Poen. 838, Truc. 531. Etiam *domi apud aliquem* scribit Plautus,[1]) rarius autem quam possessivum. Exempla sunt Bac. 749, Men. 28, 671, Mil. 593. In Men. 671 notandum est antitheton verborum *ab se* et *apud se, excludet* et *occludet*. Similiter in Mil. 593 *foris* pugnat cum *domi apud me*.

Locutioni *domi apud aliquem* respondet *domum ad aliquem* Eun. 576

laeta vero ad se abducit domum.

Eun. 662—3

nisi si domum
forte ad nos rediit.

Hec. 822—3

ad me nocte primu
confugere anhelantem domum.

Ad eandem rationem duplex temporis significatio pertinet. Semel locutione *post deinde* Terentius utitur And. 483

nunc primum fac ista ut lavet; post deinde,
quod iussi . . . date.

Eadem locutio in XII Tabularum lege III 2 invenitur[2]) quem locum Gellius XX 1, 45 citat, et eadem formula utitur III 10, 7, ubi Varronem citat. Praeterea sexies apud Gellium formulam exstare memorat Preuss l. c. p. 65. In And. 483 verba *post deinde* videntur verbum *primum* premere. Similis est locutio *tum postea*,

1) Usum verbi *domus* apud Plautum tractat Abraham, Studia Plautina. Fleck. Jhb. Suppl. XIV p. 196 sqq.

2) Cf. Altenburg, de sermone pedestri Italorum vetustissimo. p. 488.

quae solum in interrogatione *quid tum postea* invenitur, Eun. 370, 637, 793, Hec. 551, Ad. 649. Alia exempla particularum temporalium coniunctarum sunt And. 662 *neque adeo donec*, qua locutione Plautus utitur Cist. 583. Similia exempla apud alios scriptores affert Altenburg l. c. p. 493. Cf. Hec. 683 *aliquando tandem*, And. 882 *modone demum*. Locutio *ibi tum*[1]) quae quinquies apud Terentium invenitur, And. 106, 131, 223, 634, Eun. 108, est formula transitionis potius quam temporis. In And. 556—8 verba *ante* et *prius* cum pleonasmo coniunguntur[2])

em, id te oro ut ante eamus, dum tempus datur
dumque eius lubido occlusast contumeliis,
prius quam harum scelera et lacrumae confictae dolis
redducunt animum aegrotum ad misericordiam.

Hoc loco verba tam longe disiunguntur ut sermonis abundantia non conspicua sit. Cf. Pl. Trin. 1141 *quem ego nec qui esset noram neque eum ante usquam conspexi prius*. Vergilius ubi locutione utitur duobus versibus verba disiungit. Aen. IV 24—7

24 *sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat*
27 *ante, pudor, quam te violo.*

Abundans dicendi genus ter invenimus ubi *loci* ad *interea* adicitur. Heaut. 257

dum ego propter te errans patria careo demens,
tu interea loci
conlocupletasti te.

---

1) Hand in Tursellino disserit de nonnullis harum locutionum. Exempla locutionis *ibi tum* afferunt Hellmuth l. c. p. 65, Preuss l. c. p. 66.

2) Spengel interpungit post *contumeliis* ut vocem *ante eamus* absolute interpretetur; sed rectius et *ante eamus* et *uxorem demus* cum *priusquam redducunt* coniunguntur.

Eun. 126

interea miles, qui me amare occeperat,
in Cariamst profectus; te interea loci
cognovi.

Eun. 255

dum haec loquimur, interea loci ad macellum ubi adventamus
concurrunt laeti mi obviam cuppedinarii omnes.

In his exemplis *interea loci* priorem vocem *dum* aut *interea* repetit. Non autem ita est in Pl. Truc. 32. Men. 446, Pseud. 266. Post comicos neminem ita locutum esse auctor est Handius Turs. III 417; locutionem autem iam comicorum aetate obsolevisse inde conicias licet, quod omnibus locis in fine versus posita est excepto Eun. 255, ubi hemistichium concludit.

Vim vocis *numquam* auget *umquam*, Heaut. 559

numquam commodius umquam erum audivi loqui.

Similis est usus vocis *usquam* Eun. 1092

numquam etiam fui usquam quin me amarent omnes plurimum.

Et *semper* significationem verbi *numquam* in priore enuntiato positi auget[1]) Adel. 293—4

nam numquam unam intermittit diem
quin semper veniat.

Adel. 855—6

numquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit
quin res aetas usus semper aliquid adportet novi.

Locutio *id propterea* invenitur And. 414

id propterea nunc hunc venientem sequor.

---

1) Dombart, Phil. XXVIII p. 736 notat hunc esse usum frequentiorem.

Donatus ad versum, 'necesse est aut alterum esse supervacuum aut *propterea propter* accipiendum'. Spengel autem explicat '*id* gibt den Zweck an (um Pamphilus zu beobachten) *propterea* den Grund (weil es Charinus befohlen.)' Et cum *propterea* per se consilium non indicet, id quod sensus hoc loco requirit, *id* necessario additur. In Anglicum convertere possumus *with this in view therefore*.

Coniunctiones Terentius interdum duplicat. Formula *nisi si* qua cuiusvis aetatis scriptores Latini utuntur apud Terentium septies vel octies invenitur. And. 249

repudiatus repetor, quam ob rem? nisi si id est quod suspicor.

Heaut. 391

nisi si prospectum interea aliquid est, desertae vivimus.

Eun. 160

ego excludor, ille recipitur. qua gratia?
nisi si illum plus quam me amas.

Eun. 524

haec quor quaeritet?
nisi si illa forte quae olim periit parvola
soror, hanc se intendit esse.

Eun. 662

nequeo mirari satis,
quo ille abire ignavos possit longius, nisi si domum
forte ad nos rediit.

Eun. 902

non credo, Chaerea,
nisi si commissum non erit.

Adel. 592—4

ego in hac re nil reperio, quam ob rem laudor tanto opere, Hegio:
meum officium facio: quod peccatum a nobis ortumst corrigo.
nisi si me in illo credidisti esse hominum numero...

Si Bentlei emendationem accipimus, qua *si* addidit, aliud est exemplum And. 670—3

hac non successit, alia adgrediemur via:
nisi si id putas, quia primo processit parum,
non posse iam ad salutem convorti hoc malum.

Plautus voce *nisi si* octies[1]) utitur: Am. 825, Cap. 530, Cur. 51—2, Epid. 22, Per. 833, Rud. 581, Trin. 474, Truc. 782. Viri docti hanc locutionem aut ellipsin aut pleonasmum aut dictionis elegantiam dicunt;[2]) sed has explanationes non esse accipiendas docent exempla supra allata. Apud Terentium verba *nisi si* negationem vel interrogationem sequi solent neque locis Heaut. 391 et Eun. 902 exceptis veram condicionem introducunt cum apodosis desit. Brix ad Trin. 474 confert locutionem Graecam *εἰ μὴ εἰ* quam Schneider ad Plat. Civ. IX 581 D explicat, 'alterum *εἰ* rem magis incertam reddit, dum exceptioni addit condicionem'. Hanc vim non habere *nisi si* videbimus si usum Terentianum tractabimus. Verba videntur eam exceptionem proponere quae sola cogitari possit. Cum Phaedria Eun. 160 intellegere studeat cur Thais ipsum excludat, militem recipiat, aliam causam invenire non potest nisi hanc, ut Thais militem plus amet etc., et verba idem significant ac *credo Thaidem eum plus quam me amare.* Similiter in And. 249 Pamphilus putat solam causam sui repetendi esse quod Chremetis filia aliquid sit monstri. Eodem modo omnibus locis ubi apodosis non exprimitur significationem fere eandem

1) Lectio *nisi si admodumst* quam Lorenz Pseud. 1086 (G.-S. 1104) praebet codicum auctoritatem non habet.

2) Cf. Hand, Turs. IV p. 239. Reisig l. c. § 457 et Schmalzii annot. p. 837. Plurima exempla usus apud alios scriptores et ex commentatorum annotationibus indicat Schmalz, Über die Latinität des P. Vatinius. Mannheim Prog. 1881.

haberemus si *credo* loco *nisi si* scriberetur. In aliquot exemplis Plautinis *nisi si* eandem vim prae se fert, cf. Curc. 51—2

tam a me pudicast quasi soror mea sit, nisi
sist osculando quippiam inpudicior.

Epid. 22

ubi is ergost? nisi si in vidulo aut si in mellina
attulisti.

Alius est usus vocis *nisi*. Cum Chremes Eun. 803 dicit *diminuam ego tibi caput hodie nisi abis* etiam contrarium *non diminuam caput, si abis* verum est. Cum autem Phaedria dicit Eun. 662 *nequeo mirari satis nisi si* etc., nullo modo rem invertere possumus sic *possum mirari satis si domum forte ad nos rediit.* Ex his exemplis videmus, discrimen hoc esse, ut simplex *nisi* condicionem totam exponat neque protasin neque apodosin repudiet aut accipiat, cum formula *nisi si* soleat protasin fere confirmare. Atque cum vox *nisi si* quam Bentley And. 671 scribit omnino Terentiano usui respondeat accipienda est.

Iam transeamus ad aliarum coniunctionum duplicationem, qua in re Terentius nondum ad posteriorum elegantiam processit. Donatus notat ad Adel. 224 (II 2, 16) '*praeterea autem, ἀρχαισμὸς* est figura. Nam veteres libenter coniunctiones multiplicabant'. Eadem formula invenitur Adel. 541. In his et sequentibus exemplis coniunctionum copulatarum retinet utrumque verbum vim propriam. Haec locutio idem valet ac *but in addition to this,* et duae coniunctiones ostendunt aliquid addi *(praeterea)* quod prioribus *(autem)* quodam modo opponatur. Simillima est vox *tum praeterea* Ph. 518, Adel. 345 Eadem locutio invenitur Heaut. 1022 quem versum Dziatzko secludit. Sed alteram causam profert versus cur non sit dubium quin Sostrata Clitiphonem esse

filium convincere possit (cf. 1017), et cum verba usui Terentiano non repugnent esse retinenda videntur. Locutionem *sed autem* quam Draeger, Hist. Syn. II 98 dicit solum quater inveniri Terentius scribit Phor. 601. Reliqua exempla sunt[1]) Rud. 472, Truc. 335, Verg. Aen. II 101. In Eun. 317 *itaque ergo* invenitur, qua locutione nullos scriptores nisi Terentium et Livium uti auctor est Draeger, II 179. *ergo igitur* autem in Most. 848 et Trin. 756, *ergo propterea* in Hec. 63 legitur. In Eun. 317 notandum est *itaque* idem quod *et ita* valere. Similes locutiones invenimus Heaut. 482 *autem porro*, *porro autem* Eun. 611, Phor. 46, 48, Adel. 419.

Controversia est apud viros doctos utrum locutio *quoque etiam* sit pleonasmus annon.[2]) Ter apud Terentium formulam legimus, sed sola in Hecyra, versibus 543, 734, 762. Formulam etiam Plautus amat.[3]) Omnibus locis Terentianis, plerisque Plautinis *quoque* pronomen personale sequitur. Cf. Pl. Am. 30, 81, 281, 717, 753, Per. 145, Pseud. 932, Trin. 1048, Truc. 94, Ep. 589. Et verbum *quoque* sine *etiam* positum pronomen personale sequi solet (in viginti septem ex triginta exemplis Terentianis verba hoc ordine scribuntur), ut duo verba unam notionem habere videantur neque *etiam* additum offendat.[4]) Sed quamquam in verbis merus pleonasmus non inest, tamen cum alterutrum verbum ad sententiam necesse

---

1) Codex Ambrosianus non praebet Bac. 519a *sed autem quam illa* etc., quem versum Guyetus recte expunxit cum reliquis locis duo verba sententiam non solum novam sed etiam contrariam introducant: *but on the other hand.*

2) Cf. Reisig § 458 et Schmalzii annot. 613a. Holtze, Syntax Priscorum Scriptorum II p. 340. Kuehner, lat. Gram. II pp. 667, 1053. Brix ad Men. 1160.

3) Plautum formula undevicies uti notat Preuss l. c. p. 67.

4) Reisig, Holtze, Kuehner l. c. exponunt *etiam* res cum ceteris aequare, *quoque* solum adnumerare.

non sit neque si abesset desideraretur, locutio *quoque etiam* eodem iure quo aliae coniunctiones duplicatae in exempla abundantiae Terentianae referenda est.

Pars II.

De synonymorum copulatione.

De synonymorum copulatione[1]) sive eadem re duobus pluribusve verbis dicta quid senserint grammatici antiqui luculente edocemur Gellii capite quod est Noctium Atticarum libri XIII 25, ubi Favorinum hac de re facit disputantem exemplis usum ex Cicerone et Catone nec non ex Homero petitis. Exponit autem omni culpa vacare illam repetitionem, immo laude dignam esse, si aut ornandae aut exaggerandae aut modulandae orationis causa fiat, ceteroquin vitiosam esse. Itaque proprium videtur hoc genus dicendi orationis arte excultae, et utitur profecto nemo frequentius apud Latinos (dico antiquiores, nam apud scriptores aevi inferioris studium illud plane in morbum vertisse notum est) quam Cicero, hac quoque in re Demosthenis aemulus, cui vitio illud quosdam dedisse Dionysius Halicarnassensis auctor est in capite 58 libri de Demosthene.

Sed hac quoque in re oratores consentaneum est nihil fecisse nisi ut naturalem quandam sermonis virtutem excolerent atque augerent. Praebet nimirum sermo popularis exempla illius iterationis, quamquam pauca si cum oratione artificiosa comparas, et quidem multa quae consuetudine fixa et quasi sollemnia facta sunt. Terentium hac in re prope accedere videbimus ad sermonis cotidiani consuetudinem, non deesse tamen ubi exsurgat eius comoedia vimque oratoriam assumat. Neque mirabimur animi concitationem hic illic verborum

---

1) Cf. Norden, Antike Kunstprosa p. 67.

cumulatione exprimi. In And. 274 sqq. Pamphilus quamquam patris duritiam indignatur tamen pudore incertus est quid agat, cum ex Myse quam misera sit Glycerium audiverit valde concitatus,

bene et pudice eius doctum atque eductum sinam
coactum egestate ingenium immutarier?

Cum autem Mysis dicat se vereri ut Pamphilus vim queat ferre, tum vero indignans

adeon me ignavom putas,
adeon porro ingratum aut inhumanum aut ferum,
ut neque me consuetudo neque amor neque pudor
commoveat neque commoneat ut servem fidem?

In Adelphis Geta aegre ferens quod putat Aeschinum a Pamphila era esse alienum verborum cumulatione indignationem exprimit vv. 303—4, 306—7, 319

vis egestas iniustitia solitudo infamia.
hocine saeclum! o scelera, o genera sacrilega, o hominem impium!
306 *quem neque fides neque iusiurandum neque illum misericordia*
repressit neque reflexit neque quod partus instabat prope . . .
319 *ceteros ruerem agerem raperem tunderem et prosternerem.*

In Eun. 553 sqq. Chaerea animi perturbationem ostendit per interrogationum coacervationem quas aliquem rogaturum exspectat. Has interrogationes Antipho repetit vv. 558—9 non quo ipse concitatus sit, sed quod videt id amico gratum futurum.

Saepe autem apud Terentium sicut in ore omnium synonyma coniunguntur non ut indignatio aut alius animi affectus exprimatur sed ut vis vel pondus quoddam sententiae addatur. Ac Terentium videbimus eadem verba saepe copulare quae etiam apud alios scriptores

frequenter coniuncta invenimus, ut *bonus et aequus, prudens et sciens, vivos vidensque, vita et aetas, novi et scio;* quibus in locutionibus bina verba in cotidiani sermonis consuetudinem venisse videntur. Pleiisque locis ubi verba synonyma coniunguntur Donatus discrimen fecit ne alterutrum abundare videretur, sed non semper sententiam recte interpretatus est. Neque quid iudicemus ubique in promptu est; cum enim nulla vox re vera idem significet quod altera, difficile interdum est cognitu, utrum Terentius binis verbis usus sit ad sententiam ornandam an alia debeat intellegi causa.

Atque ut de adiectivis initium faciam primum ea in quibus Terentius vocabulis binis cum alliteratione, quam dicimus,[1]) coniunctis utitur afferam. Qui usus quantopere in deliciis Plauto fuerit nemo nescit, Terentius ut aliis ita hoc quoque ornamento parcissime utitur. Heaut. 526

sed habet patrem quendam avidum misere atque aridum.

Hoc loco Terentius ludere verbis *avidum* et *aridum* videtur. Plautus voce *aridus* hoc sensu utitur Aul. 297 *pumex non aequest aridus, atque hic est senex,* et Per. 266 ubi dua verbo *avidus* et *aridus* coniungit: *triparcos homines vetulos avidos ar[i]dos.* Phor. 767

dum nimium dici nos bonos studemus et benignos.

Cf. Hor. Sat. I 2, 51 *vellet bonus atque benignus esse.* Pl. Truc. 34 *temptat benignusne an bonae frugi sies.*

1) Cf. de hoc termino Norden, Antike Kunstprosa p. 59, de alliteratione apud poetos epicos eundem, Vergils Aeneis Buch VI p. 907; apud Lucretium similem verborum cognominatorum sonitum permultum valere exemplis plurimis demonstravit Kraetsch in dissertatione supra laudata.

Adverbia *bene benigne* coniungit Plautus Most. 816, Truc. 128. — Hec. 841

vide, mi Parmeno, etiam sodes, ut mi haec certa et clara attuleris.

Alia exempla adiectivorum *certa clara* coniunctorum affert Preuss l. c. p. 112, qui putat locutionem *certa clara afferre* proverbiali figura dictam esse. Plautus verba coniungere non videtur, sed Per. 183 *plana et certa* scribit. And. 956

o faustum et felicem diem!

Et Plautus et Cicero his adiectivis cum *bonus* et *fortunatus* coniunctis utuntur. Pl. Trin. 41 *bona fausta felix fortunataque evenat.* Cic. Div. I 102 *quod bonum faustum felix fortunatumque esset.* Cf. Varro L. L. VI 9, 86 e tabulis censoriis *quod bonum fortunatum felixque salutareque siet populo Romano.* Lucr. I. 100 *exitus ut classi felix faustusque daretur.* — Heaut. 314

non fit sine periculo facinus magnum nec memorabile.

Similiter Pl. Pseud. 512 *mirum et magnum facinus feceris*, ubi cum in *mirum et magnum* tum in *facinus feceris* alliteratio inest. Phor. 1008

pro di immortales, facinus miserandum et malum.

Hec. 152

pium ac pudicum ingenium narras Pamphili.

Cf. Pl. Am. 1086 *piam et pudicam esse tuam uxorem ut scias.* Cic. Phil. III 11 *nihil pudens nihil pudicum.* Heaut. 107

satis sanus es aut sobrius?

Vim alliterationis verborum *sanus sobrius* vox *satis* auget. Uberius autem exemplum Pl. Am. 904 *si sis sanus aut sapias satis.* Similiter in Hec. 388 voce *te* addita alliterationis vis augetur:

per te tecta tacitaque apud omnis sient.

Haec exempla afferre possum ubi Terentius adiectiva praepositione *in* composita coniungit. And. 245

adeon hominem esse invenustum aut infelicem quemquam ut ego sum!

And. 277—8

adeon me ignavom putas,
adeon porro ingratum aut inhumanum.

Heaut. 633

te inscientem atque inprudentem dicere ac facere omnia.

Eun. 136

inprudens harum rerum ignarusque omnium.

Phor. 499

adeon te esse incogitantem atque impudentem sine modo.

In And. 603 *insperante hoc atque invito Pamphilo*, *insperante* videtur ad Simonem spectare, *invito* ad Pamphilum, ut synonyma non copulentur. In And. 257

ullam causam ineptam saltem falsam iniquam

iniquam artius cum *falsam* quam cum *ineptam* coniungitur. In Phor. 120 verba *indotatam* atque *ignobilem* significationem similem non habent.

Adiectivorum homoeoteleuton rarius etiam quam alliteratio apud Terentium invenitur. And. 132

bene dissimulatum amorem et celatum indicat.

Homoeoteleuton[1]) quod est in verbis *dissimulatum* et *celatum* minus auditur cum duo verba interponantur neque adiectiva similem ictum habeant. Spengel ad versum affirmat duo verba quanta cura Pamphilus amorem celaverit ostendere. Sed etiam admiratio patris qui Pamphilum Glycerium amare nescierit verbis duplicatis significatur. In And. 619 ludit poeta verbis *inpe-*

1) De Terentii usu homoeoteleuti cf. Hauler, Terentiana, p. 21 sqq.

ditam et *perditam;* similiter in Heaut. 568 *quam immodestus quam molestus.*

Iam ad multo maiorem exemplorum partem accedamus, in quibus neque alliteratio neque homoeoteleuton inest. Saepe formula *bonus* et *aequos* scribitur. Heaut. 642

qui neque ius neque bonum atque aequom sciunt.

Hic duo verba loco substantivi legi et unam notionem habere significatur eo quod voci *ius* respondent. Similiter Pl. Men. 578 *qui neque leges neque aequom bonum usquam colunt.* Ceteris in exemplis Terentianis *aequus bono* semper antecedit. Heaut. 788

aequi bonique facio.

Phor. 451

aequomst et bonum.

Phor. 631

aliquam partem aequi bonique dixeris.

Adel. 64

est durus praeter aequomque et bonum.

Adel. 987

id non fieri ex vera vita neque adeo ex aequo et bono.[1])

Formula *bonum aequomque oras* invenitur Most. 682, Per. 399, Rud. 184. Curc. 65 *neque quicquam queo aequi bonique ab eo impetrare.* Frequenter duobus verbis superlative utitur Plautus in formula *optumum atque*

---

1) Ex his exemplis videmus Terentium duobus verbis numquam *ἀσυνδέτως* uti, neque intellego quam ob rem Brix ad Men. 578 notet '*aequom bonum* stehendes Asyndeton', cum Plautus hoc loco solo verbis *ἀσυνδέτως* utatur, et apud alios scriptores verba coniunctionibus copulativis aut disiunctivis coagmentari soleant. Post Plautum Cicero locutionem bis *ἀσυνδέτως* scribit, Phil. II 94, Top. 66, deinde Paulus 47, 10, 18. De locutionis usu cf. Preuss l. c. p. 110 et Thesaurum linguae Latinae sub *Aequus* IV.

aequissumum oras, cf. Ep. 725, Men. 1146, Pseud. 389, Stich. 728. Simile est Rud. 1029 *hoc optumum atque aequissumumst.*

Non solum cum *aequo* sed etiam cum aliis adiectivis *bonus* saepe coniungitur ut significatio latior coartetur. Terentii haec sunt exempla. Heaut. 704

bonam atque iustam rem oppido imperas,

Eun. 123

nam hic quoque bonam magnamque partem ad te attulit,

Phor. 131

quod erit mihi bonum atque commodum.

Adel. 463—4

neque boni
neque liberalis functus officiumst viri.

Phor. 767 *bonos et benignos* sub alliteratione attuli. Comparativa coniunguntur, Heaut. 64

meliorem agrum neque preti maioris nemo habet.

Eun. 1082

accipit homo nemo melius prorsus neque prolixius.

Phor. 227—8

em, nunc ipsast opus ea aut, si quid potest,
meliore et callidiore.

Prius idem fere ac *melius* valet Eun. 50

nil prius neque fortius.

Saepissime Terentius copulatione adiectivorum bimembri utitur ut hominum ingenium vel mores designet, cuius usus haec sunt exempla. Heaut. 321—2

mulier commoda,
faceta haec meretrix.

Heaut. 580

hominis frugi et temperantis functus officium.

Heaut. 874

ego me non tam astutum neque tam perspicacem esse id scio.

Eun. 643

ubi ego illum scelerosum misera atque impium inveniam?[1])

Heaut. 577

ne ineptus ne protervos videar.

Eun. 709

o scelestum atque audacem hominem!

Eun. 1011

at etiam primo callidum et disertum credidi hominem.

Phor. 168

quod sine sumptu ingenuam liberalem nactus es . . . uxorem

Hec. 761

facilem benivolumque lingua tua iam tibi me reddidit.

In Hec. 164—6 Parmeno ut Philumenae ingenium liberale apte laudet adiectiva nomina verba duplicat:

haec, ita ut liberali esse ingenio decet,
pudens modesta, incommoda atque iniurias
viri omnis ferre et tegere contumelias.

Adiectiva *proba* et *modesta* copulat Demea cum Pamphilae matrem laudat Adel. 930. In Adel. 95

non fratrem videt
rei dare operam, ruri esse parcum ac sobrium?

---

1) Cf. Lucr. I 83 *scelerosa atque impia facta.*

locutio *rei dare operam* duo adiectiva aliquo modo definit. Similiter in Adel. 480—1

non malus
neque iners: alit illas, solus omnem familiam sustentat

Hegio ut Getae mores explicet postquam negavit eum esse malum aut inertem virtutes iterum significat cum duabus locutionibus quid faciat confirmat. Eodem modo in Adel. 864

clemens, placidus, nulli laedere os, adridere omnibus

duo adiectiva duobus colis accuratius explicantur.

Non natura sed animi affectus non constans significatur duobus adiectivis, Adel. 756

hilarum ac lubentem fac te gnati in nuptiis.

Verba *animus* et *ingenium* adiectivis definita hominis mores vel animi affectionem explicant, Heaut. 122

domum revortor maestus atque animo fere
perturbato atque incerto prae aegritudine.

Heaut. 464

si te tam leni et victo esse animo ostenderis.

Heaut. 912

quemquamne tam comi animo esse aut leni putas

Phor. 497

adeon ingenio esse duro te atque inexorabili.

Et sequentes huius exempli versus totos scribam ut quomodo verba lenonis verbis Phaedriae respondeant videamus. Verisimile est alliterationem in lenonis sermone consulto adhiberi.

ut neque misericordia neque precibus moliri queas!
adeon te esse incogitantem atque inpudentem sine modo
ut phaleratis ducas dictis me et meam ductes gratiis!

Persaepe locutione *prudens sciens* alii scriptores Latini utuntur,[1]) ut Terentius Eun. 72—3

et prudens sciens
vivos vidensque pereo.

Donatus ad versum adnotat discrimen esse inter *prudens* et *sciens: 'prudens'* inquit 'est qui intellegentia sua aliquid sentit, *sciens* qui alicuius indicio rem cognoscit.' Sed Terentius verbum alterum addit non tam ut novam significationem quam ut maiorem vim sententiae tribuat. Haec verba quae saepe coniunguntur et esse iureconsultorum propria et venisse in proverbii consuetudinem iudicat Landgraf, Blätter f. d. Bayr. G. W. 1880, p. 318.[2]) Eadem adiectiva cum praepositione *in* composita coniunguntur Heaut. 633

te inscientem et inprudentem dicere et facere
omnia.

Cum Eun. 72 comparare possumus poetae tragici (inc. 145 R.) verba a Cicerone epp. VI 6, 6 usurpata '*prudens et sciens ad pestem ante oculos positam' sum profectus,* ubi non solum *prudens* et *sciens* iunguntur sed etiam vocabula *ante oculos positam* eodem modo ac *vivos vidensque* apud Terentium vim sententiae augent. Verba *vivos vidensque,* in quibus alliteratio notanda est, in sermonem cotidianum[3]) cadere indicat Cic. p. Sest. 27, 59 *vivus, ut aiunt, est et videns,* cf. p. Quinct. 15, 50. Lucretius verba coniungit III 1046, V 993.

Adiectiva *vivos* et *salvos* copulantur, quamquam *salvos* notionem vivendi continet, Hec. 464

nam illum vivom et salvom vellem

---

1) Plurima exempla affert Preuss l. c. p. 105.

2) Landgraf in annotatione ad Cic. Rosc. Am. 20, 55 alia exempla affert; cf. Otto, Sprichwörter d. Römer, p. 312.

3) Cf. Landgraf, de Ciceronis elocutione in orationibus pro P. Quinctio et pro Sex. Rosc. Amerino p. 18. Otto l. c. p. 377.

cf. Plaut. Pseud. 309 *atque ego te vivom salvomque vellem.* Verba *salvom atque validum* copulat Terentius Hec. 457

> *bene factum te advenisse, Pamphili,*
> *atque adeo, id quod maxumumst, salvom atque validum.*

Fortasse Phidippus *salvom* dicit quod Pamphilus ex maris periculis redierit, *validum* quod bona valetudine sit. Cf. Pl. Am. 581 *equidem valeo et salvus sum recte* et v. 583—4 ubi Amphitruo discrimen inter verba videtur facere:

> *at te ego faciam hodie proinde ac meritus es*
> *ut minus valeas et miser sis, salvos domum si rediero iam.*

Forma rarius quam natura vel mores copulatione adiectivorum bimembri describitur. Atque in exemplis sequentibus videbimus adiectiva et ad formam et ad animi naturam referri posse. And. 120

> *et voltu, Sosia,*
> *adeo modesto, adeo venusto, ut nil supra.*

And. 123

> *quia erat forma praeter ceteras*
> *honesta ac liberali.*

Ruhnken ad versum alios locos adnotat ubi *honesta* idem quod *pulchra venusta* valet. Vocem *liberalem* interdum ad formam spectare docet Pl. Mil. 967 *lepida et liberali formast.* Similiter Eun. 682

> *ille erat*
> *honesta facie et liberali.*

Paupertatem Antiphilae indicat Clitia cum duobus adiectivis utitur, Heaut. 297

> *hanc quam dicit sordidatam et horridam.*

cf. Truc. 933 *hominem tam horridum ac tam squalidum.*

Miles adiectiva duplicat ut ostendat quam parvi Parmenonis erum aestimet, Eun. 486

adparet servom hunc esse domini pauperis
miserique.

Terentius ut homines ita res binis adiectivis describit maxime ut laudem aut vitium exhibeat. And. 36

apud me iusta et clemens fuerit servitus.

Heaut. 839

quam multa iniusta ac prava fiunt moribus.

Heaut. 327

etsi consilium quod cepi rectum esse et tutum scio.

Heaut. 957

scio tibi esse hoc gravius multo ac durius,

Phor. 94

paupertas mihi onus visumst et miserum et grave.

Adel. 375

est hercle inepta (ratio); ne dicam dolo
absurda.

Admiratio exprimitur. And. 625

hocine credibile aut memorabile,

Heaut. 314

non fit sine periclo facinus magnum nec memo-
rabile.

Phor. 848

num mirum aut novomst

Eadem adiectiva copulat Plautus Most. 345 *num mirum aut novom quippiam facit?*

Interdum copulatio trium vel plurium adiectivorum apud Terentium invenitur. Haec exempla in quibus ea vocabula cumulantur quae ingenium vel mores designent exstant. Heaut. 227

meast inpotens, procax, magnifica, sumptuosa,
nobilis.

In hoc versu Clitipho adiectiva multiplicat ut amicae natura cum Antiphilae moribus in versu priore descriptis pugnet. Similiter Menedemus substantiva cumulat cum se et Chremen comparat Heaut. 876—8

in me quidvis harum rerum convenit
quae sunt dicta in stulto, caudex, stipes, asinus, plumbeus;
in illum nil potest.

Adel. 866

ego ille agrestis, saevos, tristis, parcus, truculentus, tenax.

Quo modo homines ex amore immutentur ostendit Eun. 226—7

hoc nemo fuit
minus ineptus, magis severus quisquam nec magis continens.

Eun. 1079

fatuos est, insulsus, tardus, stertit noctis et dies.

Hec. 472

quam fideli animo et benigno in illam et clementi fui.

Hec. 837

ego illo dum licitumst usa sum benigno et lepido et comi.

Adiectivorum cumulatione imago accuratius depingitur Eun. 934—5

nil videtur mundius,
nec magis compositum quicquam nec magis elegans.

Ad rem accurate designandam adiectiva cumulantur, Eun. 104

sin falsum aut vanum aut finctumst,

Phor. 226

iustam illam causam, facilem, vincibilem, optumam?

Adel. 944

etsi hoc mihi pravom ineptum absurdum atque
alienum a vita mea
videtur.

In Eun. 104 Parmeno adiectiva multiplicat ut pactionem cum Thaide firmiorem faciat, in Ph. 226 Geta memorat quibus locutionibus Phaedria Antiphonis factum paulo ante defenderit, in Ad. 944 verborum cumulatione ostendit Micio sibi nusquam fuisse consilium uxorem ducere.

Restant exempla ubi adiectivi significatio aliis verbis circumscribitur. Et ut eandem rationem sequar prius ea afferam quae ad homines, deinde ea quae ad res spectant. And. 137

redeo inde iratus atque aegre ferens.

And. 608

tam iners tam nulli consili sum:

Heaut. 122—3

domum revortor maestus atque animo fere
perturbato atque incerto prae aegritudine.

Eun. 1077

magis opportunus nec magis ex usu tuo
nemost.

Dubitari potest dicaturne ἀσυνδέτως Phor. 214

vi coactum te esse invitum

neque Cic. p. Quinct. 16, 51 *vi ac necessitudine coacti inviti* rem explicat. Non ex omni parte respondet Pl. Mil. 449 *vi atque invitam ingratiis rapiam te.*

Hec. 643—4

sed quid mulieris
uxorem habes aut quibus moratam moribus?

Heaut. 490

videre vera atque ita ut rest dicere.

Heaut. 798

omnes te in lauta esse et bene aucta re putant

Sic Bentley emendavit versum impeditum, *in lauta et bene acta parte putant.* Phor. 239

praeter spem atque incredibile hoc mi obtigit.

Ex adiectivis transeam ad exempla ubi bina vel plura adverbia fere idem significantia coacervantur. Eodem modo ac *bonum* cum adiectivo altero etiam *bene* cum adverbio altero Terentius solet coniungere. And. 274

bene et pudice eius doctum atque eductum.. ingenium

Heaut. 226

habet bene et pudice eductam ignaram artis meretriciae.

Hoc loco vocabulis *ignaram artis meretriciae* alio modo designatur quid ad *bene et pudice eductam* pertineat. Et Plautus amat *bene* et *pudice* copulare. Cf. Am. 349, Cap. 992, Cis. 173, Curc. 518, 698.

Adel. 953

bene et sapienter dixti dudum.

Eun. 416

pulchre me hercle dictum et sapienter

Phor. 1047

pulchre discedo et probe

et praeter spem.

Fortasse hoc loco Terentius alliteratione consulto utitur ut Chremetis laetitia exponatur. Bis adverbia *parce duriter* coniunguntur. In priore exemplo *pudice* additur. And. 74.

primo haec pudice vitam parce et duriter agebat.

Adel. 45

semper parce ac duriter

se habere;

Heaut. 152

si quis recte aut commode tractaret.

Cf. Pl. Cas. 260 *si facias recte aut commode.* Adverbium *incommode* Terentius aliquo modo definit Eun. 329

incommode hercle. immo enim vero infeliciter.

Quid intersit inter *recte* et *suo tempore* Hec. 531, et *opportune* et *in ipso tempore* Hec. 626, Donatus ad versus docet. Sed ea exempla et plurima quo modo Terentius rem duobus modis tractare amaverit ostendunt. In Eun. 175

utinam istuc verbum ex animo ac vere diceres[1])

ex animo et *vere* idem valere videntur quod, etsi quis ex animo dicens errare potest, Thais si ex animo Phaedriae aliquid se facturam promisit et vere dixit. Neque discrimen esse videtur inter *recte* et *verum* Ad. 609

et recte et verum dicis.[2])

Cf. Pl. Cap. 960 *recte et vera loquere: sed neque vere neque tu recte ad huc feceris.*

Quamquam in exemplis sequentibus adverbia significationem similem habent tamen utrumque notionem propriam retinere videtur. Heaut. 58

facit ut te audacter moneam et familiariter.

Heaut 344

hodie sero ac nequiquam voles.

Heaut. 1045

enim vero Chremes nimis graviter cruciat adulescentulum
nimisque inhumane.

Heaut. 99—101

coepi non humanitus
neque ut animum decuit aegrotum adulescentuli
tractare, sed vi et via pervolgata patrum.

In versu sequente inhumanitatem suam accuratius ex-

1) Cf. Catull. CIX. *Di magni, facite ut vere promittere possit, atque id sincere dicat et ex animo.*

2) Cf. Donatum ad versum.

ponit Menedemus cum addit *cottidie accusabam;* denique his non contentus verba accusationis repetit. In Adel. 662—4

factum a vobis duriter
inmisericorditerque atque etiam, si est, pater,
dicendum magis aperte, inliberaliter

Aeschinus quamquam animi concitatione verba multiplicat tamen patris reverentia addit *si est dicendum magis aperte* quae verba ostendunt *inliberaliter* plus valere quam *duriter inmisericorditerque.*

Nomina ad significationem adverbialem conferuntur And. 161 ubi *obnixe* fere idem valet atque *manibus pedibusque:*

quem ego credo manibus pedibusque obnixe omnia
facturum.

Vocem *manibus pedibusque* quam Donatus dicit esse proverbialem et *omnibus viribus* significare Terentius *ἀσυνδέτως* scribit And. 676. Cf. Pl. Most. 1118 *cum pedibus manibus, cum digitis auribus, oculis labris.*

Parasitus ut militi gratificetur verba ridiculum in modum cumulat Eun. 427

facete, lepide, laute, nil supra.

De formula *forte temere* disputant Hand, Turs. II p. 73 et Preuss l. c. p. 54 sq. Apud Terentium locutio invenitur Phor. 757

quam saepe forte temere
eveniunt quae non audeas optare!

Ad Phor. 574

pol me detinuit morbus. unde? aut qui?

Dziatzko annotat '*Unde* fragt nach Grund und Anlass der Krankheit, *qui* nach ihrer Art'. Sed Terentius rem ex variis partibus cum tractare tum quaerere amat. Cf. Phor. 418 *at nos unde? aut quam ob rem?* Phor. 580, 952 *quo pacto aut unde?*

Plurima exempla substantivorum binorum coniunctorum apud Terentium invenimus in quibus alterum vocabulum interdum nihil sententiae novi addit, interdum notionem explicat aut auget. Nonnumquam Terentius nominibus duobus utitur quae alii scriptores tam saepe coniungunt ut duo verba in notionem unam coiisse manifestum sit. Itaque formulae *damnum malum, fides clientela, mens animus, spes opes*, quae frequenter apud alios scriptores inveniuntur, apud Terentium unam notionem praebere solent. Si substantivorum copulationem bimembrem tractabimus Terentium saepius nomina abstracta quam concreta coniungere videbimus, quod ipsa rei natura fit, cum non soleant synonyma multa esse ad unam rem concretam designandam, animi autem affectiones et res abstractae, quae non tam accurate designari possint, multis vocabulis similibus saepe significentur.

Primum exempla substantivorum synonymorum cum alliteratione coniunctorum afferam ex litteris ordinata. And. 326

nunc te per amicitiam et per amorem obsecro.

Quamquam hoc loco Charinus suam et Pamphili amicitiam, amorem autem Philumenae designare videtur, in And. 718 Mysis verbis *amicum amatorem* utitur ut Pamphilum designet. In Eun. 1048

mei patris festivitatem et facilitatem?

non solum alliteratio sed etiam homoeoteleuton in verbis inest. Donatus notat *festivitatem* in dictis, *facilitatem* in animo et factis esse, sed duo nomina Chaereae laetitiam et quam gratus patri sit ostendunt. cf. Cic. Brut. 177 *festivitate igitur et facetiis.*

Terentius bis locutione *forte fortuna* utitur: Eun. 134

forte fortuna adfuit hic meus amicus

Eun. 568

forte fortuna domi erat quidam eunuchus.

Preuss l. c. p. 15 sq. putat locutionem per asyndeton dictam esse. Similiter Brix ad Pl. Trin. 302. Sed solus ablativus *fortuna* hoc sensu inveniri non videtur et cum dea Fors Fortuna Romae culta sit eodemque modo ac Fortuna templa habuerit,[1]) Terentius locutione *forte fortuna* non per asyndeton uti videtur, sed ut notionem unam exprimat item ac fit in nomine *Fors Fortuna*. Dea invocatur Phor. 841

o Fortuna, o Fors Fortuna.

Cf. Hec. 386

'quaeque fors fortunast' inquit 'nobis quae te hodie obtulit'.

Forte fortuna invenimus Pl. Bac. 916, Mil. 287, Cic. de div. II 7, 18.

Heaut. 945

animum qui nunc luxuria et lascivia
diffluit.

Similiter scribit Cic. p. Quinct. 92 *luxuriem atque licentiam.*

Adel. 188—9

pernicies communis, fateor, adulescentium,
periurus, pestis.

Etsi *pernicies* et *pestis* pluribus verbis disiunguntur, alliterationis vis per adiectivum *periurus* retinetur.

And. 206

nil locist segnitiae neque socordiae.

Etiam hoc loco Donatus iudicat interesse inter duo nomina, '*segnitiae* ad agendum, *socordiae* ad consulendum'; sed non verisimile est Davom subtile discrimen facere velle, sed ostendere sibi celeriter esse agendum.

---

1) Cf. Roscher, Lexicon der griech. u. röm. Mythologie sub v. *Fors.*

Eadem verba Plautus coniungit As. 254 *quin tu abs te socordiam omnem reice et segnitiem amove.*

Nomina concreta cum alliteratione coniuncta invenimus Heaut. 140

nil relinquo in aedibus
nec vas nec vestimentum: conrasi omnia.

Significatio verbi *nil* verbis *nec vas nec vestimenta* repetitur et totam sententiam repetit *conrasi omnia.*
Heaut. 968

ibi tuae stultitiae semper erit praesidium, Clitipho,
victus, vestitus.

Hanc locutionem, qua Cicero utitur pro Quinct. 15, 49, Hellmuth l. c. p. 164 existimat proverbii locum obtinere. Similiter Preuss, l. c. p. 78, qui formulae alia exempla affert.

Haec exempla inveni ubi nomina cum eadem praepositione composita coniunguntur. And. 560—1 *consuetudine et coniugio*, Heaut. 952 *deridiculo et delectamento* Heaut. 811 *cum isto invento cumque incepto,* Hec. 165 *incommoda atque iniurias.*

Pauca exempla exstant substantivorum cum homoeoteleuto coniunctorum. And. 831

eius labore atque eius dolore.

Laborem saepe idem ac *dolorem* valere notat Spengel ad And. 720. Simillimum est Pl. Pseud. 686 *in labore atque in dolore.* Plauti et Terentii loci eo quoque inter se respondent quod uterque trochaici septenarii partem priorem efficit.
Phor. 470

spes opesque sunt in te uno omnes sitae.

Adel. 331

in quo nostrae spes opesque omnes sitae
erant!

In priore exemplo sententiae vim rhetoricam non solum homoeoteleuton sed etiam verba *uno* et *omnes* iuxta

posita augent. *spes* et *opes* apud Plautum copulantur Am. 1053, Cap. 445, 517, Per. 253, Rud. 204, 1145.

Sed plurima synonyma coniuncta apud Terentium invenimus quae alii scriptores saepe copulant ubi neque alliteratio neque homoeoteleuton in vocabulis inest. Exemplum est *malum damnum:* And. 143

quid facias illi dederit qui damnum aut malum?

Eun. 995

num quid est
aliud mali damnive . . . relicuom?

Donatus ad And. 143 '*damnum* rei est, *malum* ipsius hominis' et Brix ad Trin. 219 '*damnum* Verlust, Geldstrafe'. Hoc discrimen statui potest in Eun. 995 ubi pater de eunuchi emptione et de Chaerea comprehendendo constringendoque audivit, non autem est ad And. 143 aptum. Similiter in nonnullis exemplis Plautinis verba ita coalescere videntur ut notionem singulam exponant. Cf. Aul. 535, 726, Cis. 321, Poen. 465, 749, Trin. 219, Truc. 228. Cicero duo vocabula non videtur coniungere. Sed cum alliteratione dicit Verr. III 108 *damna ac detrimenta,* III 228, *detrimenta atque damna,* I 33 *damna dedecora,* de Fin. I 41 *tum in damna tum in dedecora,* de Leg. I 51 *propter damna aut detrimenta.*

Ex iureconsultorum sermone quo saepe res bis exprimitur videtur Terentius locutionem *vis potestas* usurpare. Heaut. 710

qui vim tantam in me et potestatem habeam
tantae astutiae.

Cf. Ulp. Dig. 9, 4, 1 *quarum actionum vis et potestas haec est.* — Eun. 1039

patri se Thais commendavit, in clientelam et fidem
nobis dedit se.

Verba *clientelam* et *fidem,* inter quae Donatus dis-

crimen facere vult, Mommsen, Römisches Staatsrecht III 76 ostendit idem valere. Cicero verba coniungit Rosc. Am. 33, 93 *in cuius fide sint et clientela.* 37, 106 *ac se in Chrysogoni fidem et clientelam contulerunt.*

Significatio legis et iuris binis verbis interdum exprimuntur. And. 200

ea lege atque omine..

In Forcellini lexico ad eum locum '*omen* translate extra rem auguralem ponitur pro facto et conditione firma atque rata'. Donatus, '*lege* ad homines, *omine* ad rem divinam refertur, id est, firmamentum per humana et divina'. Neutro verbo Simo proprie utitur sed locutio fere idem valet atque *ego per homines deosque iuro.* And. 880

praeter civium morem atque legem

Inter *ius leges mores* hoc discrimen facit Isidorus, Orig. V 3, 1—2 *ius generale nomen est, lex autem iuris est species. lex est constitutio scripta, mos est vetustate prolata consuetudo.* Cf. Pl. Trin. 1043 *leges mori serviunt.* Sed duo verba fere unam notionem habent in And. 880. Cf. Cic. Timaeus 38 *veteri legi morique parendum est.* Pl. Trin. 1036 *mores leges perduxerunt iam in potestatem suam,* Most. 126 *docent litteras, iura, leges.* In Phor. 214 scribitur *lege iudicio* et cum *iudicio* qui sit *legis* usus constituatur duo verba notionis vim augent. Hec. 387

si ius si fas est

Quamquam proprie *ius* ad legem humanam, *fas* ad legem divinam refertur, in propatulo est animo Myrrinae Pamphilum obsecrantis hoc discrimen non obversatum esse, sed matrem quam gravissima obtestationis formula uti ad misericordiam Pamphili excitandam; eadem de causa in versu sequenti abundanter dicit *advorsa eius tecta tacitaque sint,* in quibus synonymis distinguendis antiqui interpretes frustra laboraverunt. Verborum *ius* et *fas*

copulatorum haec exempla sufficiant: Pl. Cist. 20 *iusque fasquest.* Cic. ad Att. I 16, 6 *ius ac fas omne delere.* Verg. G. I 269 *fas et iura sinunt.* Liv. VII 31 *sicut ius fasquest.*

Adel. 306

quem neque fides neque ius iurandum neque illum misericordia
repressit neque reflexit

Hoc loco discrimen non est inter *fides* et *iusiurandum* quae verba Geta coniungit eodem modo ac *repressit* et *reflexit* ut vis sententiae addatur.

Copulationis bimembris nominum quae vitam vel animum significant haec sunt exempla. Hec. 334

aliquid tulisse comminiscentur mali
capiti atque aetati illorum.

Caput in imprecandi formula[1]) idem esse ac *vitam* intelligetur si Phor. 491 conferetur, neque hoc loco aliud valet. Plautus duo nomina coniungit Rud. 375 *vae capiti atque aetati tuae.* Rud. 1346 *Venus eradicet caput atque aetatem tuam.* Adel. 869

contrivi in quaerendo vitam atque aetatem meam.

Cf. Pl. Am. 633 *in vita atque in aetate agenda.* Cic. Flac. 100 *criminationem omnis aetas L. Flacci et perpetua vita defendit.* Nusquam in his exemplis discrimen videtur inter *vitam* et *aetatem* esse, sed duo nomina vim rhetoricam sententiae addunt. And. 272

quae mihi suum animum atque omnem vitam credidit.

Glycerium Pamphilum penitus amare duo verba *animum vitam* ostendunt cui se omnino crediderit. *Mens* et *animus* seape apud alios scriptores, semel apud Terentium copulantur, And. 164

mala mens, malus animus.

---

1) Cf. Otto l. c. p. 75.

Cf. Enn. Tr. fr. 186 (R.) *mentem atque animum delectat.* Pl. Trin. 454 *satin tu's sanus mentis aut animi tui*[1].) Adel. 297

talem, tali ingenio atque animo, natum ex tanta familia.

Bentley *ingenio* pro codicum et Donati lectione *genere* scripsit. Sic Tyrrell, Dziatzko, Fleckeisen, Umpfenbach. Spengel, Kauer, alii[2]) *genere* retinent. *Ingenio* fere idem quod *animo, genere* quod *familia* valet. Bentleii autem lectio videtur praeferenda cum verbis synonymis *ingenio atque animo* locutio *natum ex tanta familia* bene respondeat, sed sententia interrumperetur si voci *genere* quae fere idem ac *familia* significat verba *atque animo* adderentur. Atque aliis locis Terentius verba *ingenium animum* coniungit. Adel. 829

scires liberum
ingenium atque animum.

And. 113—114

haec ego putabam esse omnia humani ingeni
mansuetique animi officia.

Cf. Pl. Bac. 494 *oro ut illius animum atque ingenium regas.* Trin. 92 *sunt quorum ingenia atque animos nequeo noscere.* Simillima est coniunctio verborum *mos* et *ingenium* Hec. 860

at tu ecastor morem antiquom atque ingenium obtines,

Eun. 932

quo modo adulescentulus
meretricum ingenia et mores posset noscere.

In Adel. 902 *et animo et natura pater* utrumque verbum vim propriam retinet.

1) De duorum nominum coniunctione cf. Kraetsch, l. c. p. 30 sq. qui pleraque exempla ex Lucretio aliisque scriptoribus collegit.

2) Cf Kauer, annot. crit. ad Adel. 297.

Interdum animorum commotiones et rationes quae cogitando eveniunt substantivis duplicatis exprimuntur. Adel. 602

quae dolore ac miseria
tabescit.

Cf. Pl. Aul. 14 *cum labore magno et misere.* Nomina *labore dolore* And. 831 sub homoeoteleuto allata sunt. Phor. 441

quanta me cura et sollicitudine adfecit
gnatus

Phor. 57

quo in metu, quanto in periclo

Hic verbum *periclo* causam *metus* proponere videtur. Phor. 34

bonitasque vostra adiutans atque aequanimitas.

Hec. 263

et diligentiam vostram et benignitatem
novi.

Adel. 390

inepta lenitas
patris et facilitas prava.

Donatus *lenitatem* ad Micionem refert, *facilitatem* ad Aeschinum. Sed non dubium esse videtur quin utrumque verbum ad Micionem spectet. Similiter verba *facilitas clementia* coniunguntur Adel. 861

facilitate nil esse homini melius neque clementia.

In And. 723

nunc opus est tua
mihi ad hanc rem exprompta malitia atque astutia

duo verbo idem fere valent, cum *malitia* significationem meliorem, *astutia* peiorem susceperit. Eandem significationem habet *malitia* in Pl. Ep. 546. Hec. 797.

scit sibi nobilitatem ex ea re natam et gloriam esse.

In hoc versu *nobilitas* idem ac *gloria* esse videtur quam significationem plane habet in Pl. Mil. 1324. In Heaut. 25 synonymis et chiasmo vis rhetorica sententiae additur:

arbitrium vostrum, vostra existumatio.

And. 509

ne tu hoc posterius dicas Davi factum consilio aut dolis.

Eun. 57

quae res in se neque consilium neque modum habet ullum.

Eun. 575

num parva causa aut prava ratiost?

Pōeta vocibus *parva et prava* ludit eodem modo ac Cicero ad Att. I 13, 2 *consul . . parvo animo et pravo tamen.* And. 319

ad te advenio spem salutem auxilium consilium expetens.

Videntur verba *spem salutem* esse coniungenda (cf. Rud. 679 *o salutis meae spes*) et *auxilium consilium.* Sed cf. Pl. Cap. 517 *spes opes auxiliaque*, Rud. 204 *nunc quam spem aut opem aut consili quid capessam.*

In Eun. 59—61 verba bina binis respondent.

in amore haec omnia insunt vitia: iniuriae,
suspiciones, inimicitiae, indutiae,
bellum, pax rursum.

Hoc toto sermone Parmeno, qui erum quo modo res amatoriae se habeant monet et loco fere oratoris loquitur, synonyma cumulat. Cf. v. 50 *nil prius neque fortius.* 52 *quom nemo expetit, ultro.* 54 *actumst, peristi.* 56 *etiam atque etiam.* 57 *neque consilium neque modum.* Vide et antitheton 61 *incerta certa,* oxymoron 63 *cum ratione insanias.* In Hecyrae prologo haec nomina coniunguntur, v. 2 *vitium et calamitas.* 23 *studio labore arte musica.* 35 *comitum conventus, strepitus, clamor mulierum.* 43 *otium*

et silentium. 48 *fautrix adiutrixque.* Quam frequenter Terentius aliis figuris in prologis usus sit ostendit Leo, Analecta Plautina II p. 14 sqq.
Eun. 300

ludum iocumque dicit fuisse illum alterum.

Verba *ludum iocum* copulat Plautus Cap. 770, Most. 864, Pseud. 65, Truc. 108. In Eun. 928—9

(amorem) confeci sine molestia,
sine sumptu, sine dispendio.

vox *sine molestia* spectat ad adiectivum *difficillumum* in versu 926, duae voces *sine sumptu, sine dispendio* ad *carissumum.*

Notavi Terentium synonymis binis abstractis multo saepius quam concretis uti. In Eun. 937

harum videre inluviem sordes inopiam,

nomina *inluviem sordes,* quae significationem concretam retinere videntur, cum abstracto *inopiam* copulantur. Nomina quae esse concreta solent interdum significationem abstractam praebent. Phor. 473

quo nam in loco sunt res et fortunae meae?

cf. Pl. Rud. 674 *sed nunc se ut ferunt res fortunaeque nostrae.* Eun. 234

quendam mei loci . . atque ordinis.

Interdum ea nomina quae vim adiectivam habent copulat Terentius ut hominem designet. Substantiva *amicus* et *aequalis* copulantur[1]) Heaut. 417

item ut filium meum amico atque aequali suo
video inservire

cf. Adel. 465—6 *nostrum amicum noras Simulum aequalem?* ubi *aequalem* vim adiectivam retinere vides. Cf. Cic. Lael. 32 *amici sunt pares in amore et aequales,* ubi *aequales* pares in aetate non significat, id quod

1) Cf. Leo, Plautinische Forschungen p. 116.

semper valet apud Plautum et Terentium. Verba *amicus* et *aequalis* coniunguntur Pl. Trin. 48, 326, Afran. Com. fr. (R) 256, 367, Cic. Lael. 57. Saepe apud Terentium et Plautum nomini *amico* alterum nomen additur. And. 295

te isti virum do, amicum tutorem patrem.

And. 718

amicum, amatorem, virum in quovis loco paratum;

And. 813

iam aliquem esse amicum et defensorem ei;

Eun. 238

omnes noti me atque amici deserunt.

Phor. 496

tu mihi cognatus, tu parens, tu amicus,

Hec. 592

tuas amicas te et cognatas deserere

Eun. 148

neque amicum neque cognatum.

Adel. 529

cliens amicus hospes nemost vobis?

Omnibus his locis nomen utrumque vim propriam retinet, sed nil videtur interesse inter verba *amicum* et *benevolentem* quae Plautus coniungit Bac. 475, Cas. 435, Cis. 640, Most. 195, Pseud. 699, Trin. 1177. Similiter Eun. 327

patris cognatum atque aequalem.

Adiectivis et substantivis cumulatis natura hominis describitur Heaut. 877

caudex, stipes, asinus, plumbeus.

Heaut. 1033

gerro iners fraus helluo
ganeo's damnosus.

Substantiva verbalia in *tor trix* desinentia copulantur. Eun. 1035

inventor inceptor perfector

Heaut. 875

adiutor meus et monitor et praemonstrator

Hec. 48

meae auctoritati fautrix adiutrixque.

In Eun. 1057

donum praemium

est formula quae saepe apud iuris consultos invenitur. cf. Digest. 38, 1, 47. 32, 2, 37. 50, 16, 53.

In Eun. 815 locutio *domi focique* simillima est formulae *arae focique* quam in proverbii locum venisse docet Otto l. c. p. 33.

Denique ad exempla verborum synonymorum coniunctorum transeo, atque ut eodem modo quo in adiectivis nominibusque ordiar primum verba cum alliteratione copulata afferam. Heaut. 926

abs te petere et poscere.

Comparare possumus Pl. Truc. 376 *abs te posco aut postulo* ubi utriusque verbi prima syllaba eadem est.

Formula *vivere valere* saepe invenitur[1]) neque abundantia in verbis inest cum qui vivat non necessario valeat, sed altero verbo notio nova sententiae addatur. Cum autem per ὕστερον πρότερον scribitur *valere* et *vivere* alterum verbum abundat, quod nihil sententiae novi affert. Cf. Heaut. 430

valet atque vivit.

Non tam arte verba coniunguntur And. 889

immo habeat, valeat, vivat cum illa.

Idem ὕστερον πρότερον apud Plautum invenitur Trin. 52 *bene herclest illam tibi valere et vivere.* Trin. 773 *illum bene gerere rem et valere et vivere.* Lucr. V 961 *quisque valere et vivere doctus.* Verba *video* et *valeo* coniunguntur

1) Cf. Preuss. l. c. p. 98.

Heaut. 244

ego vero audio nunc demum et video et valeo, Clitipho.

Quamquam verba similem significationem non habent et alliterationis causa coniungi videntur, Clinia verbo *valeo* addito ostendit se non solum sensus audiendi videndique habere sed etiam Antiphilae adventu omnino valere.[1])

Littera prima verbi et praepositionis verbi compositi eadem est Heaut. 966

et commisi et credidi.

Similiter Cicero Verr. V 35, p. Cluent. 159, de dom. 1, de inv. I 1, 4 et 9.

Heaut. 779

neque do neque despondeo.

Adel. 670

quis despondet? quis dedit?

Adel. 472

orans obsecrans.

Hac formula alii scriptores saepe utuntur. Heerdegen, Untersuchungen d. lat. Semasiologie, Heft III p. 26, copulationis septem exempla ex Plauto, p. 43 unum et viginti exempla ex Cicerone affert. Verba *oro obtestor* quae Cicero decies coniungit[2]) semel apud Terentium multis verbis disiuncta inveniuntur. And. 289—291

quod per ego te hanc nunc dextram oro et genium tuom,
per tuam fidem perque huius solitudinem
te obtestor ne abs te hanc segreges neu deseras.

And. 62

facile omnis perferre ac pati.

Cf. Cic. Tusc. V 79, de Or. II 77, et exempla quae affert Kraetsch, l. c. p. 3.

Adel. 134

profundat perdat pereat, nil ad me attinet.

---

1) Cf. Leo, Analecta Plautina II p. 38.

2) Cf. Heerdegen, l. c. p. 44.

Hic verbo *pereat* synonymis *profundat perdat* addito vis alliterationis augetur.

Copulationis bimembris verborum synonymorum, quae cum eadem praepositione composita sunt, haec exempla exstant. Adel. 927

adiuvare adiungere.

Tria verba *colere adiuvare adiungere* priorem versum explicant cum dicant quo modo familia una facienda sit. Eun. 886

ego me tuae commendo et committo fide.

Heaut. 473

Syrus cum illo vestro consusurrant, conferunt consilia.

Notandum est praepositionem *con* et in nomine repeti.

Verba bina cum *re* composita coniunguntur Eun. 174 *restituam ac reddam,* Eun. 746 *reddere ac restituere,*[1]) Heaut. 946 *retundam redigam,* Adel. 307 *neque repressit neque reflexit.*

Interdum Terentius verbum simplex cum composito copulat[2]). Heaut. 404 *disperii, perii,* Heaut. 465 *sumat consumat perdat,* Eun. 962 *dico edico.* In his exemplis verbum compositum plus valet quam simplex. Aliter autem Eun. 377 *abduc duc,* ubi duo verba ducendi notionem duobus modis, id est *hinc* atque *ad eam,* exprimunt. Similiter in Phor. 103 *imus venimus,* explere possumus *ex tonstrina imus, domum virginis venimus.* Et notio eundi bis exprimitur And. 744 *reliquit me homo atque abiit.*

Homoeoteleuton est in prologo Phor. 8

et eum plorare orare.

Eadem verba inter plurima synonyma invenimus apud Caecilium Statium, 212 (R) *clamo postulo obsecro oro ploro atque imploro fidem,* v. 150 *plorando orando,* apud L. Afranium 246 (R) *plorat orat.* In

1) Hanc locutionem sexies in Digestis inveniri notat Preuss, p. 99.

2) Cf. Hauler, Terentiana, p. 21 sq.

And. 912 *sollicitando et pollicitando* homoeoteleuton in quinque syllabis inest, in verbis compositis Phor. 305—6 *commonstrarier demonstrarier* in quattuor, in duobus And. 248 *facta transacta omnia* ubi verba versus priori parti *quod modis contemptus spretus* respondent. Donatus ad versum '*acta transacta* proverbiale est in id negotii de quo nihil supersit ad agendum'. Non minus proverbialis esse videtur codicum lectio *facta transacta.*[1]) Cf. Cic. Cat. III 6, 5 *factum atque transactum est.* In Hec. 815 *cursando atque ambulando* verba similiter exeunt.[2])

Reliqua exempla in quibus Terentius synonyma bina copulat ex verborum significatione disponere conabor, et ut a verbis supplicandi ordiar, haec exempla afferam. And. 190

dehinc postulo sive aequomst te oro[3]) *Dave.*

Sive aequomst fortasse dicit Simo quod iniquum videtur servum ab ero orari, Cicero autem similiter scribit, Fam. IX 13, 3 *peto igitur a te, vel si pateris, oro,* ubi *oro* plus valet quam verbum alterum. Eorundem verborum copulationem invenimus And. 823

abs te postulo atque oro, Chremes.

And. 312

ipsum hunc orabo, huic supplicabo.

And 660—2

numquam destitit
instare, ut dicerem me ducturum patri;
suadere, orare usque adeo donec perpulit.

---

1) Cf. Preuss, p. 110.

2) Woelfflin, Arch. I p. 350 sqq. in eius modi exemplis homoeoteleuton audiri negat; sed poeta videtur ea verba quae similes ictus habent et similiter exeunt consulto copulare.

3) Usum verbi *orare* apud scriptores Latinos tractat Heerdegen, l. c. 9 sqq.

Hoc loco non solum *instare* sed etiam *suadere orare* ex verbo *destitit* pendere videntur neque sunt, quod Spengel vult, infinitivi historici. Cum And. 373

nisi senis amicos oras, ambis.

comparari potest Pl. Mil. 69 *orant, ambiunt exobsecrant.* Hec. 686

egi atque oravi tecum uxorem ut duceres.

Heaut. 1027

quod peto aut quod volo.

And. 550

immo ita volo itaque postulo ut fiat.

Verba monendi vel imperandi his locis copulantur. Eun. 389

iubesne? iubeam? cogo atque impero.

Hec. 64

et moneo et hortor.

Cf. Adel. 428—9 *postremo tamquam in speculum in patinas, Demea, inspicere iubeo et moneo quid facto usus sit.* Heaut. 78

vel me monere hoc vel percontari puta.

Verba *scire* et *noscere* quae et apud alios scriptores saepe copulantur Terentius coniungit And. 53

nam antea
qui scire posses aut ingenium noscere.

And. 934

noram et scio.

Spengel verba interpretatur 'ich kannte ihn persönlich und weiss, dass er dein Bruder war.' Simile discrimen facere possumus Eun. 351. Parmeno rogatus utrum quae sit virgo noverit an viderit respondet

vidi, novi: scio quo abducta sit.

tum Chaerea

eho Parmeno mi, nostin et scis ubi siet?

ubi sensus esse videtur *nostin quae sit et scis ubi sit?* Eun. 374

neque te quisquam novit neque scit qui sies.

Eadem verba apud Plautum coniunguntur, Aul. 434, 766, As. 353, Ep. 576, Mil. 452, Pseud. 1212, Trin. 850. semel apud Ciceronem, Rosc. Am. 125.[1]) Similem significationem habent verba Heaut. 116

plus scire et providere.

Hec. 868

neque resciscent neque scient.

Adel. 546

primus sentio mala nostra, primus rescisco omnia.

Heaut. 958—9

id qui nescio
nec rationem capio.

Hec. 549

tun prospicere aut iudicare.... potes?

Adel. 827

video eos sapere, intellegere.

Cf. Eun. 543

neque scio quid dicam aut quid coniectem.

Eun. 547

nequeo satis mirari neque conicere.

Verborum credendi copulatorum exempla duo sub alliteratione notavi, Heaut. 966, Eun. 886. Aliud exemplum restat And. 296.

bona nostra haec tibi permitto et tuae mando fide.

Plus semel in hoc sermone Chrysidis morientis vocabula duplicata sententiae gravitatem addunt. Cf. 289—291 *oro obtestor, ne segreges neu deseras.* 295 *te isti virum do, amicum tutorem patrem.*

Verba iuvandi copulantur Eun. 363

dabo operam, adiuvabo.

1) Cf. Landgraf ad locum.

Adel. 145—6

verum si augeam
aut etiam adiutor sim.

Haec locutio duobus verbis in v. 144 respondet, *advorsor sedulo et deterreo.* Adel. 927

colere adiuvare adiungere,

Adel. 967—8

hic adiutor fuit
hic curavit.

And. 921

ego istaec moveo aut curo?

Tria verba explicant versum priorum, Adel. 962-3

ego istos vobis usque a pueris curavi ambos sedulo:
docui, monui, bene praecepi semper quae potui omnia.

In And. 274 verba similis significationis *doctum atque eductum* coniunguntur, et in Eun. 117

coepit studiose omnia
docere, educere, ita uti si esset filia.

Repetitio syllabae *es* notanda est in Eun. 193 sqq. ubi verba amandi cumulantur

dies noctisque me ames, me desideres,
me somnies, me expectes, de me cogites,
me speres, me te oblectes, mecum tota sis:
meus fac sis postremo animus, quando ego sum tuos.

Oxymoron in v. 192 *praesens absens ut sies* sententiam fortiorem facit. Eun. 96

quo quemquam plus amem aut plus diligam.

Adel. 709

hic non amandust? hicine non gestandus in sinust?

Hec. 408

amoque et laudo et vehementer desidero.

Adel. 38

quemquamne hominem in animo instituere aut
parare quod sit carius quam ipse est sibi.

Bina verba sperandi invenimus Phor. 164

haec expetenda optandaque est.

Phor. 1025

quam ob rem exspectem aut sperem porro non
fore?

Timoris et laetitiae significatio bis exponitur Eun. 84

totus, Parmeno,
tremo horreoque.[1])

Eun. 555

quid gestiam aut quid laetus sim.

Verbum *facere* latioris significationis saepe aliis verbis quae rem accuratius exponunt additur. *Feci* duobus verbis explicatur, And. 139

quid feci? quid commerui aut peccavi, pater?

Quattuor imperativi cumulantur And. 334

facite fingite invenite efficite qui detur tibi.

Spengel exponit verbum *efficite* iuxta *facite* locum tenere posse quod sensum trium priorum imperativorum repetat. Sed bene annotat Donatus '*facite fingite invenite*, mire exprimit Pamphili animum nuptias metuentis, cui quicquid dixerit parum est.' Alia exempla verbi simplicis cum composito coniuncti supra notavi. Similia verba cumulat Hegio Adel. 497 ut vis sententiae augeatur:

qua propter nitar, faciam, experiar, denique
animam relinquam potius quam illas deseram.

Imperativi cumulantur Adel. 813

conserva, quaere, parce, fac quam plurimum
illis relinquas.

---

1) Cf. Landgraf ad Cic. Rosc. Am. § 8. p. 146.

ubi *fac . . relinquas* quid eveniat *conservando, quaerendo, parcendo* exponit. Similiter in Adel. 991

ecfundite, emite, facite quod vos lubet,

locutio *facite q. v. l.* priorum verborum notionem continet.

Lena meretricem docet quid facere oporteat, Hec. 64—65

et moneo et hortor ne te quoiusquam misereat,
quin spolies mutiles laceres, quemque nacta sis.

Hec. 254

aut ea refellendo aut purgando

Eun. 554

obtundat enicet.

In Eun. 103—5 vis comica sententiae verbis translatis additur:

quae vera audivi taceo et contineo optume;
sin falsum aut vanum aut finctumst, continuo palamst:
plenus rimarum sum, hac atque illac perfluo.

In versu 103 significatio verbi tacendi translatione *contineo optume,* quasi de vase dicto, quod plane est in v. 105, repetitur. In v. 105 bis verbis translatis causa explicatur cur res palam sit si Thais verum non dicat.

Sed maxime Terentius interrogationes duplicat, quem usum si tractaverimus inveniemus interrogationum cumulationem animi concitationem vel dubitationem significare solere. And. 886—7

sed quid ego? quor me excrucio? quor me macero?
quor meam senectutem huius sollicito amentia?

Hec. 516

perii, quid agam? quo me vortam? quid viro meo respondebo
misera?

Adel. 189

ei mihi, quid faciam? quid agam? quid clamem aut querar?

Cf. And. 170, 343, 404, 457. Heaut. 61—62, 251 562, 674, 919. Eun. 294, 555—6, 558—9, 643, 650, 966, 1007. Phor. 192, 234, 728. Hec. 715. Adel. 485, 670—1, 883, 885. Similiter particula interrogativa sine verbo dicta interrogatiunculae additur. Cf. And. 979. Eun. 950. Phor. 704, Ad. 186, 677, 772.

Haec quae composui exempla ostendunt Terentium abundantia quae ex copulatione vocabulorum bimembri oriatur saepe uti. Cum autem rem duobus verbis quam simpliciter exponere frequenter praeferat, inanibus verbis raro utitur, sed ad utilitatem sententiae verba ita coniungit ut abundantia non sit reprehensione digna. Ex exemplis allatis videmus Terentium saepe eadem synonyma quae Plautum coniungere. Plurimae tamen coniunctiones bimembres quibus Plautus saepissime utitur numquam apud Terentium inveniuntur. Exempli causa memoro formulam *vetus antiquos* quam Plautus scribit Am. 118, Mil. 751, Most. 476, Per. 53, Poen. 978, Trin. 381; *damnum flagitium*, Bac. 376, 378, 1032, Merc. 237, 784, Pseud. 440. Maxime amat Plautus synonyma cum alliteratione scripta coniungere. Cf. *salvus sanus*, Ep. 563, Merc. 174, 889, Pseud. 1068, Am. 730; *salvos servatus* Aul. 677, Trin. 1076; *salvos sospes* Cap. 873, Rud. 631. Numquam Terentius adiectivum *lepidus* cum voce altera coniungit (adverbia *lepide laute* Eun. 427), Pl. Poen. 1198 *lepida et lauta* Per. 130 *lepida et liberalis* Rud. 408 *ut lepide ut liberaliter*. *Fides et fiducia* Aul. 586, Trin. 117, 142. Cf. Trin. 1096, 1126. *Sentio et scio* Ep. 613, Mil. 580, Trin. 639.

Sed quamquam modestia Terentiana solet cum

ubertate Plautina pugnare, Leo Anal. Plaut. II p. 14 sqq. ostendit quantopere Terentius synonymis antithetisque in prologis usus sit. Non solum autem in prologis ubi 'orator venit ornatu prologi' arte rhetorica poeta utitur sed saepe in monologis verborum cumulatio figuraeque inveniuntur, qui quod ad orationum speciem quodam modo se applicant, sermonis indolem non exhibent, non est quod miremur. Monologum Micionis totum afferam. Adel. 26 sqq.

Storax! non rediit hac nocte a cena Aeschinus
neque servolorum quisquam, qui advorsum iverant.
profecto hoc vere dicunt: si absis uspiam
aut ibi si cesses, evenire ea satius est
quae in te uxor dicit et quae in animo cogitat
irata quam illa quae parentes propitii. 31
uxor, si cesses, aut te amare cogitat
aut tete amari aut potare atque animo obsequi,
et tibi bene esse soli, sibi quom sit male.
ego quia non rediit filius quae cogito! 35
quibus nunc sollicitor rebus! ne aut ille alserit
aut uspiam ceciderit aut praefregerit
aliquid. vah, quemquamne hominem in animo instituere aut
parare quod sit carius quam ipse est sibi!
atque ex me hic natus non est, sed ex fratre. is meo
dissimili studiost iam inde ab adulescentia: 41
ego hanc clementem vitam urbanam atque otium
secutus sum et, quod fortunatum isti putant,
uxorem numquam habui. ille contra haec omnia:

ruri agere vitam; semper parce ac duriter
se habere; uxorem duxit; nati filii
duo: inde ego hunc maiorem adoptavi mihi:
eduxi a parvolo, habui, amavi pro meo;
in eo me oblecto, solum id est carum mihi.
ille ut item contra me habeat facio sedulo:
do, praetermitto, non necesse habeo omnia
pro meo iure agere; postremo, alii clanculum
patres quae faciunt, quae fert adulescentia,
ea ne me celet consuefeci filium.
nam qui mentiri aut fallere insuerit patrem aut
audebit, tanto magis audebit ceteros.
pudore et liberalitate liberos
retinere satius esse credo quam metu.
haec fratri mecum non conveniunt neque placent.
venit ad me saepe clamans 'quid agis Micio?
quor perdis adulescentem nobis? quor amat?
quor potat? quor tu his rebus sumptum suggeris,
vestitu nimio indulges? nimium ineptus es.'
nimium ipse est durus praeter aequomque et bonum,
et errat longe mea equidem sententia,
qui imperium credat gravius esse aut stabilius
vi quod fit quam illud quod amicitia adiungitur.
mea sic est ratio et sic animum induco meum:
malo coactus qui suom officium facit,
dum id rescitum iri credit, tantisper pavet;
si sperat fore clam, rursum ad ingenium redit.
ille quem beneficio adiungas ex animo facit,

studet par referre, praesens absensque idem erit.
hoc patriumst, potius consuefacere filium
sua sponte recte facere quam alieno metu:
hoc pater ac dominus interest. hoc qui nequit,
fateatur nescire imperare liberis.

Quamquam Micio dolet quod filius non rediit, haec ubertas non ab animi concitatione proficisci, sed orationis quam quasi ad spectatores dirigit ornandae causa quaesita esse videtur. Huic monologo in fabulae initio scripto Demeae v. 855 sqq. penitus respondet. In utroque de vivendi consilio agitur, in utroque figuris repetitionibusque poeta consulto utitur.

Numquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit
quin res aetas usus semper aliquid adportet novi,
aliquid moneat: ut illa quae te scisse credas nescias,
et quae tibi putaris prima, in experiundo ut repudies.
quod nunc mi evenit; nam ego vitam duram quam vixi usque adhuc
prope iam excurso spatio omitto. id quam ob rem? re ipsa repperi
facilitate nil esse homini melius neque clementia.
Id esse verum ex me atque ex fratre quoivis facilest noscere.
ille suam egit semper vitam in otio, in conviviis,
clemens, placidus, nulli laedere os, adridere omnibus;
sibi vixit, sibi sumptum fecit: omnes bene dicunt, amant.

ego ille agrestis, saevos, tristis, parcus, truculentus, tenax
duxi uxorem: quam ibi miseriam vidi! nati filii:
alia cura, heia autem, dum studeo illis ut quam plurimum
facerem, contrivi in quaerundo vitam atque aetatem meam:
nunc exacta aetate hoc fructi pro labore ab eis fero,
odium: ille alter sine labore patria potitur commoda.
illum amant, me fugitant: illi credunt consilia omnia,
illum diligunt, apud illum sunt ambo, ego desertus sum:
illum ut vivat optant, meam autem mortem exspectant scilicet.
ita eos meo labore eductos maxumo hic fecit suos
paulo sumptu: miseriam omnem ego capio, hic potitur gaudia.
age age nunciam experiamur contra, ecquid ego possiem
blande dicere aut benigne facere, quando hoc provocat.
ego quoque a meis me amari et magni fieri postulo:
si id fit dando atque obsequendo, non posteriores feram.
deerit: id mea minume re fert qui sum natu maxumus.

Eadem dicendi arte utitur Demea v. 986 sqq. ut vitae rationem suam accuratius explicet et fratris esse falsam doceat:

dicam tibi:
ut id ostenderem, quod te isti facilem et festivom putant,
id non fieri ex vera vita neque adeo ex aequo et bono,
sed ex adsentando, indulgendo, largiendo, Micio.
nunc adeo si ob eam rem vobis mea vita invisa, Aeschine, est,
quia non iusta iniusta prorsus omnia omnino obsequor,
missa facio: ecfundite, emite, facite quod vobis lubet.
sed si id voltis potius, quae vos propter adulescentiam
minus videtis, magis inpense cupitis, consultis parum,
haec reprehendere et corrigere et obsecundare in loco:
ecce me, qui id faciam vobis.

In his exemplis ubertatem nullo modo ex animi concitatione proficisci vides. Hanc contra esse causam ob quam Pamphilus synonyma, anaphoras, interrogationes cumulet And. 236 sqq. ubi solus loquitur cum Mysen non videat docet v. 234 *sed quid nam Pamphilum exanimatum video?* In Eun. 92 sqq. Parmeno sibi valde placens quod putat se dolis Chaereae profuisse rem etiam atque etiam sibi cogitatione libenter proponit. Haec voluptas et comprobatio sui multum abhorret a perturbatione quae in versibus sequentibus invenitur ubi sollicitudine interrogationes cumulantur. In monologis non aliter atque in diverbiis locutionis ubertas indignatione evenit. Cf. And. 625 sqq. Adel. 299 sqq.

Aliud est dicendi genus cum spectatoribus aliquid narratur. Ut exemplo utar, in Hec. 361 sqq. necesse est Pamphilum exponere id quod intus factum est, ut intelligatur quo loco res sit, atque cum non sit verus monologus sed narratio, sermo inornatus est.

Vita.

Nata sum Eva Johnston prid. Id. Mai. MDCCCLXV in vico Americanae civitatis Missouriensis, cui nomen est Ashland, patre Joanne, matre Elisabeta e gente Martin. Fidem profiteor evangelicam. Artibus liberalibus in Stephens College Columbiae instructa mense Maio anni MDCCCLXXXII adepta sum maturitatis testimonium. Anno MDCCCXCI universitatem Missouriensem petivi, ubi post octo semestria ad gradum Artium Magistri admissa sum. Ad annum MDCCCXCIX functa sum munere magistrae in Columbia High School. Tum mihi professori extraordinariae universitatis Missouriensis creatae duo anni sunt concessi ut studium in Germania persequerer. His annis in universitatibus Berolinensi et Heidelbergensi actis munera in universitate Missouriensi per tres annos functa denique anno MCMIV universitatem Regimontanam adii, ubi scholas frequentavi virorum doctissimorum *Heinze, Ludwich, Rossbach, Schoene.* Quibus viris omnibus gratias ago maximas, imprimis vero *Heinze,* qui liberalissime me, cum studiis operam darem, et consilio et opera adiuvit.

Examen quod vocant rigorosum ante diem VII Id. Jun. h. a. absolvi.